



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Liber IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

S. FRANCISCI  
X A V E R I I  
E SOCIETATE IESV  
INDIARVM APOSTOLI  
NOVARVM EPISTOLARVM.  
LIBER IV.

EPISTOLA PRIMA.

CATECHETICA.

*Ad Molueenses, Scripta Anno MDCLXVI.*  
IESVS MARIA.



DELECTAT Christianos audi-  
re & nosse quâ ratione, quò-  
que ordine Deus è nihilo  
condiderit res omnes, in usum  
obsequiumque Hominum.  
Principiò creavit Cœlos &  
Terram, Angelos, Solem, Lunam, Stellas,  
Diem item ac Noctem, Herbas, Fruges, Po-  
ma



ma omnis generis fructusque arborum, Aves, Animantes quæ in terrâ vivunt, Mare, Flumina & Lacus, Animantia aquatica. Et hiſce univerſis conditis, noviffimum omnium fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Primus Homo à Deo creatus fuit Adam, & prima Mulier Eva. Hos ambos cum formaffet & animaffet, ſtatuiffetque in Paradifo Terreſtri, ijs benedixit, eoque invicem deſpondit, matrimonij foedere jungens. mandavitque ſic junctis, ut generarent Filios, & terram incolis frequentarent. Ex his Adamo & Evâ nati omnes ſumus. hinc propagatum quantum eſt uſpiam Gentium. Informatur iſto prototy- po exemplo ſingularitas humani conjugij. Cum enim Sapientiſſimus Naturæ Autor non dederit Adamo plus unâ Conjugem, manifeſtum eſt contrariam Divinæ auctori- tati eſſe licentiam hujus generis, quæ in Mau- ri paſſim & Idololatræ, quodque eſt ſagi- tioſius & dolendum magis, Mali etiam uſur- pant Chriſtiani, multarum ſimul habenda- rum in contubernio Mulierum. nec ſi qui ſingularibus etiam Concubinis aſſueſcunt hujus exempli cenſuram vitant, non enim prius autore Deo Adam & Evâ dederunt



operam liberis , quàm ab ipso Creatore,  
 legitimo fuissent connubij nexu copulati.  
 Quare fornicatores, utpote Divino, à quo  
 sunt conditi, rebelles Numini, congruas suæ  
 nequitiaë poenas expectent. Agnoscant hinc  
 quoque qui Pagodes adorant, quanto se sce-  
 lere contaminent. dum Deo uno vero cun-  
 ctorum Conditore relicto ac spreto, muta  
 Simulacra & larvas stygias, phanatico errore  
 venerantur. ac cum recta ratio clarè mon-  
 stret, indidem petendam vitæ gubernationem  
 unde vivendi principium ducimus, isti per  
 sacrilegum furorem, præstigijs & fortibus,  
 vanæque Ariolorum Divinationi spes ratio-  
 nesque committunt suas: salutis ipsorum  
 hosti implacabili Diabolo eam fidem reve-  
 rentiamque deferentes, quam Deo debebant  
 auctori bonorum omnium, à quo animam,  
 corpus, quidquid sunt, possunt, possident-  
 ve, acceperunt; impietate non magis in-  
 se foedâ ac detestabili, quàm miseris eam  
 consciscuntibus exitiali: quippe quos ea ve-  
 sana superstitio Cœlis excludat, ubi para-  
 tum animabus Dei cultricibus diversorium  
 æternæ commorationis est, omni gaudio af-  
 fluens; beata sedes illius felicitatis, ad quam  
 Creator summè beneficis Homines condidit.

quan-



quantiſapientius veri Chriſtiani Deo Domi-  
no ſuo fideles, ei credunt, eundem in ſpi-  
ritu adorant, totâ mente, cunctis devoti  
cordis affectibus, unum ſolum verum ſupre-  
mum æternum Spiritum Cœli & Terræ mo-  
litorem amplectuntur; intimamque iſtam  
animi religionem externis obſequijs expri-  
munt, dum frequentant ſacra templa, ubi  
circum aras Deo vivo poſitas, vident ima-  
gines Chriſti ejus Filij, Deiparæ Virginis,  
Sanctorumque Dei Servorum, qui vitâ in  
ipſius ſervitio ritè tranſactâ, cum eo re-  
gnant in Gloriâ Paradifi. Inter quæ au-  
guſta monumenta, ſalutari memoriâ inſtin-  
cti repræſentatarum illic & rerum & per-  
ſonarum, genibus humi poſitis, manibus  
fuſum ſublatis, in Cœlum oculos & cor  
dirigunt, Deum ibi habitantem, in quo  
ſuum omne bonum ac conſolationem col-  
locant, confitentes, his Sancto Petro tribu-  
tis verbis: *Credo in Deum Patrem Omnipot-*  
*entem Creatorem Cœli & Terræ.* Priùs crea-  
vit Deus Angelos in Cœlis quàm homines  
in Terrâ. Porrò major Angelorum pars  
Deum ſuum ſtatim adoravit, gratias ei &  
laudes referens, ob beneficium creationis.  
Lucifer è contrario, & cum eo multi An-



geli, debitam adorationem suo Creatori reddere noluerunt: sed cum superbiâ dixerunt: Ascendamus & evadamus similes Deo qui Cœlorum tenet altissima. In pœnam hujus superbæ rebellionis, præcipitavit Deus Luciferum, & huic adhærentes Angelos, è Cœlis in Infernum. Lucifer sic detrusus, videns Adamum & Evam primos homines, invidit ipsis gratiam in quâ fuerant à Deo creati: & ut eos inde deijceret superbiam ejus similem quâ ipse de Cœlo deciderat, eis suggestit; obijciens conventis in Paradiso Terreſtri, falsam spem assequendi honorem Divino parem, si pomum à Creatore vetitum comederent. Arrexerunt animos Adam & Evâ ad mendacem speciem promissæ similitudinis Dei, & tentationi consentientes comederunt de fructu interdictæ arboris; excideruntque statim gratiâ, in quâ fuerant creati; moxque in pœnam suorum peccatorum, ejecit eos Deus Terreſtri Paradiso. Vixerunt inde extra beatam sedem in laboribus per nongentos annos, pœnitentiam agentes peccati, quod admiserant. cujus tam inexpiabilis labes fuit, ut quantumcumque Adamus & ejus Filij luerent atrocium suppliciorum, insufficiens esset ad ejus delendam



dam maculam, ipsosque restituendos in  
 spem priorem assequendæ felicitatis æternæ,  
 ereptam justâ ultione insanæ superbiæ, quâ  
 fieri concupierant Dei similes. itaut ex illo  
 Portæ Cœlorum impenetrabilibus obstructæ  
 repagulis permanerent, & ipsum Adamum  
 & ejus Posteror inexorabiliter arcentes aditu  
 gloriæ, cujus suo & illorum periculo pec-  
 cans, iacturam fecerat irreparabilem. O Chri-  
 stiani; quid nobis infelicibus fiet? si tot  
 Angeli propter unum superbiæ peccatum  
 Cœlo præcipites exturbati sunt, & in inum  
 Tartarum detrusi; Adam verò & Eva ob  
 simile Superbiæ crimen, Paradisi Terrestris  
 Beatam possessionem amiserunt, quæ spes  
 ostenditur aut ratio, nobis scelerum omnis  
 generis colluvione depravatis, emergendi  
 unquam è fæce tam tenaci, & elutis macu-  
 lis, enitendi ad cœlorum summa, ubi sedes  
 sempiternæ immortalium animarum felicitatis  
 est à Deo constituta? Conclamata pro-  
 fectò res erat: & humani generis planè cer-  
 ta, nec ullâ evitabilis ope damnatio ac per-  
 nicies extrema; quando Sanctus Michaël Ami-  
 cus noster verus, & qui cum eo Angeli in  
 subjectionis officio perseverantes, præmium  
 constantiæ jam tulerant beatissimam fruitio-



nem sempiternæ in Cœlis gloriæ, miserati simul omnes humanæ naturæ calamitatem, coram Deo supplices procidentes, aliquod ab eo remedium ingentium malorum, quæ ex peccato Adami & Evæ in utriusque sobolem latè inundabant, impetrare, hujus ferè formæ precibus, conati sunt. Bone Deus, Clementissime Domine, ac Pater Gentium cunctarum: venit jam tandem tempus, & ab origine sæculorum expectatissima dies illuxit, quam misericordiæ in deploratissimos mortales expromendæ tuæ, æternâ destinatione præparasti. Ejus diei quæ restitutis in Divinæ gratiam adoptionis Adami filijs patefactura claustra Cœlorum est, Auroram en exortam nunc videmus, quandoquidem ex Sanctis Annâ & Ioachimo nata est illa Virgo sine peccato Adami super omnes mulieres Sanctissima, nomine Maria; cujus virtus & sanctitas supra omnia Deo minora excellens incomparabiliter eminet. Hæc cum adeò pura & illustris Virgo sit, videtur, non indignum opus fore tuâ Sapientissimâ Omnipotentiâ, si ex ejus sanguine virgineo digneris, quod facilè potes Domine, formare corpus humanum, sicut olim Domine, formasti corpus Adami, quando id

Sanctæ



Sanctæ Voluntati Tuæ placuit. In tale por-  
 rò corpus è purissimâ Virginis substantiâ  
 formatum, potes idem Omnipotens Domi-  
 ne simul creare, simul infundere atque inti-  
 mè unire animam unam aliquam eximiam,  
 omnium quas unquam aut condidisti, aut  
 es conditurus Sanctissimam (interim eodem  
 tempore decrevit Deus in arcano consilio  
 Trinitatis Sanctæ, personam Divinam in ven-  
 tre Virginis Mariæ humanæ naturæ sociare)  
 ut ex istâ cunctarum præstantissimâ Virgine  
 nascatur IESVS Christus tuus Filius Mundi  
 Salvator universi. Sic Domine implebuntur  
 scripture, ac fides constabit promissionum,  
 per quas Te obstrinxisti Prophetis & Patriar-  
 chis Anticis tuis, qui nunc ijs freti expe-  
 ctant in Limbo Filium tuum IESVM Chri-  
 stum Dominum & Redemptorem suum. Ita  
 orantibus Angelis Sanctis Excelsus, Supre-  
 mus, Omnipotens Deus motus intimâ Mi-  
 sericordiâ nostræ ingentis, ipsi perspectissi-  
 mæ miseria, legavit è Coelis Sanctum Ar-  
 changelum Gabrielem in Civitatem Naza-  
 reth, ubi degebat Virgo Maria, cui, prout  
 erat iussus à mittente, dixit: Ave Maria,  
 gratiâ plena, Dominus tecum, Benedicta  
 tu in mulieribus, Spiritus Sanctus superve-  
 niet



niet in Te , & virtus Altissimi obumbrabit tibi ; & quod nascetur ex te , vocabitur IESVS Christus Filius Dei . Quibus ab Archangelo auditis , Sanctissima Virgo Maria respondit : Ecce Ancilla Domini ; fiat mihi secundum verbum tuum . eodem puncto temporis quo Virgo Sanctissima , propositis à Deo per Sanctum Archangelum assensum præbuit , formavit Deus in ventre Virginis ejusdem , ex purissimo ipsius sanguine corpus humanum , cui simul creaturam intimè conjunxit animam : & tunc Secunda Trinitatis Persona Deus Filius , in ventre Virginis Mariæ Incarnatus est , uniendo suæ Hypostasi Divinæ tam animum illum , quàm corpus utrumque Sanctissimum . Sub hæc à die quo Dei Filius Incarnatus est , ad diem ejus Natalem , novem omninò mensibus evolutis , IESVS Christus Salvator totius Mundi . Deus & homo verus , ex Mariâ Virgine natus est ; id quod profitens Sanctus Andreas dixit : *Credo in IESVM Christum Filium Dei unicum Dominum Nostm* , cui statim subjunxit Sanctus Ioannes : *qui conceptus est de Spiritu Sancto , natus ex Maria Virgine* . Bethlemi propè Ierusalem natus est Christus Dominus & Redemptor Noster . Ibi eum Angeli ,



geli, & Virgo ejus Mater cum suo Sponfo  
 Sancto Iosepho, Reges præterea tres, & alij  
 multi adoraverunt, ut Dominum supremum.  
 Interim Herodes, qui regnabat Ierosolymis,  
 timens ne regno, cui cupidè incubabat, per  
 hunc puerum pelleretur, voluit eum occi-  
 dere: sed elusa ejus crudelitas est, IESV in-  
 tempore subtrahito. nam ab Angelo Iose-  
 phus admonitus in somnis, Bethleemo fu-  
 git in Ægyptum, tollens secum IESVM  
 Christum & ejus Matrem, Virginem, man-  
 sitque illic; quoad Herodes pessimâ morte  
 vitam absolvit; tyrannus omni malo di-  
 gnissimus; quippe cujus tanta fuit immani-  
 tas, ut in Bethleem & in omnibus finibus  
 ejus, omnes parvulos à bimatu & infra tru-  
 cidaverit; IESVM Christum eâdem cæde  
 comprehendendum existimans. Falsò id qui-  
 dem. quippe servatus, ut dictum est, IESVS  
 cum Virgine suâ Matre ac Sancto Iosepho,  
 reversi sunt in terram suam & Civitatem  
 Nazareth, præmonito de hoc ipso in Ægy-  
 pto per Angelum, Iosepho. Factus inde  
 IESVS duodecim annorum, ascendit Naza-  
 retho Hierosolymam, in Templum, ubi  
 erant Doctores Legis, quibus Scripturas Pro-  
 phetarum & Patriarcharum, adventum Filij  
 Dei



Dei prædicentes, declaravit, tam illustri  
 miræ Sapientiæ specimine, ut passim omnes  
 stuperent. Hinc reversus Nazareth, ibi  
 mansit usque ad ætatem quasi annorum tri-  
 ginta. quando inde proficiscens ivit ad  
 fluvium Iordanem, ubi erat S. Ioannes Ba-  
 ptista multos ad se accedentes baptizans:  
 inter quos & IESVM quoque Christum ba-  
 ptizavit in Iordane. Ex eo se loco IESVS  
 Christus contulit in Desertum Montem,  
 ubi quadraginta diebus & totidem noctibus  
 omni cibo potuque abstinuit. In eo Monte  
 Diabolus nesciens Christum esse Dei Filium,  
 impellere ipsum tentavit in peccata tria,  
 Gulæ, Cupiditatis, & vanæ Gloriæ: sed cun-  
 ctis rejectis Christus à Diabolo & à Mon-  
 te victor descendit in Galilæam, ubi mul-  
 tos homines convertit; & multa dæmonia  
 ex Energumenorum corporibus expulit, man-  
 dans ut inde facefferent. cui mandato sta-  
 tim illi, rebelles licet & contumaces Spiri-  
 tus, parebant, mirante non sine causâ po-  
 pulo, & Doctrinam ejus Divinam sapien-  
 tissimis concionibus probatam, tum præte-  
 rea virtutem mirificam in curandis omnis  
 generis morbis, famâ latè fusâ celebrante.  
 Hinc multi scilicet ad fidem adhibendam



ijs quæ à tantæ autoritatis Magistro prædicabantur, persuasi, ægros qualicumque languore laborantes, undique certatim ad ipsum trahebant, qui eos omnes, Sanctarum suarum contactu manuum abstersâ lue quavis, statim dimittebat in Domos suas sanos & gratulantes. Post hæc vocavit IESVS Christus Apostolos duodecim & Discipulos septuaginta duos. quos secum circumducebat Vrbes & Pagos obiens, docendis mysterijs Regni Dei, concionando ad concurrentes turbas, & fidem ijs quæ tradebat conciliando frequentissimâ editione miraculorum ingentium. nam coràm omni populo Apostolis & Discipulis præsentibus, reddebat visum cæcis, loquendi facultatem mutis, auditum surdis, vitam mortuis, gressum claudis, motum paralyticis. quibus quotidie cernendis Apostoli & Discipuli magis scilicet magisque confirmabantur in fide IESV Christi: qui tantam illis Sapientiam & Virtutem communicavit, ut rudes licet ac Piscatores illiterati, conciones ad populum haberent, supplente studij atque Institutionis humanæ defectum Divino Magisterio Filij Dei IESV Christi; cuius etiam invocato nomine, mira ipsi quoque Apostoli opera-

opera-



operabantur; à morbis varijs & ab infestio-  
nibus malorum Dæmonum corpora homi-  
num liberantes; ijsque humanam faculta-  
tem excedentibus factis, velut obfignantes  
quæ docebant de Adventu Filij Dei; ea  
quantumvis nova, abundè credibilia evin-  
centes testimonijs tot signorum, minimè  
dubium Divinæ suffragationis characterem  
præferentium. Illustris hinc Christo Disci-  
pulisque eius latè per Iudæam parta clari-  
tas perstrinxit oculos Primatum Gentis præ-  
tumidorum opinione sui. quorum ij præ-  
fertim qui Pharizæi dicebantur, supercilio-  
sissimi despectores omnis excellentiæ, cum  
etiam solerent indignari, si cuius non suæ  
hæresis ac sectæ, laus vel mediocris Doctri-  
næ contingeret, facile aestimatu est quanto  
superbissimarum cruciatu mentium cerne-  
rent, audiri miro plausu Multitudinis Chri-  
stum reprehensorem dogmatum suorum.  
adeoque jam efferræ studijs Vulgi, ut nihil  
propiùs abesset, quàm ut ipsis ex arce  
quam dudum infederant, autoritatis & exi-  
stimationis summæ, deturbatis, eò novus  
Magister, cum grege Piscatorum illum se-  
quentium, promoveretur. Hac rabie instin-  
cti stygij livoris, universas decreverunt ca-  
lum-



lumnia artes intendere ad famam Christo unà cum ipsâ extorquendam vitâ. Ad hoc cum alios tunc potentes rerum artificiosis sunt sermonibus adorti, tum Pilati per id tempus Iudeæ Præsidis animum precibus, suspicionibus, criminationibus variè versatum, perpulerunt denique ad annuendam ipsis, quam ut quieti publicæ necessariam vehementer flagitarant, comprehensionem IESV. Obrepi eatenus sibi externus ille Rector passus est insidiosis machinationibus istorum: non ille quidem ignorans invidia ipsos propriæ, communis utilitatis fucosam speciem obtendere; sed aut pertæsus instantiæ importunè urgentium, aut demereri potentes in plebe stadiens, tanti duxit vel propriam quietem, vel alienam gratiam periculo redimere, clari quidem viri, & Eliæ ac Ieremiæ veterum, vel recentioris Ioannis Baptistæ facilè similis; non tamen, ut putabat, humano fastigio majoris. Si enim perspicuè novisset IESVM esse Dei Filium, haud ullo videtur perpelli potuisse ambitu ad eum invidentium furori condonandum. Capto porrò autoritate publicâ IESV, illud privatâ malignitate Scelerati ejus osiores addiderunt, ut quàm contumeliosissimè crudelif-

delif.



deliffiméque tractari eum per sibi obnoxios curarent . Hinc ille concursu ac convicio per vias ac plateas tractus , è Domo in Domum ad varia tribunalia raptatus , spre- tus , objurgatus , consputus , cæsus colaphis , ad extremum deductus ad Pilatum est , cum falsis testibus , & infestis vocibus concitati populi necem ei crucemque deposcentis . Hærebat Praes tamen , innocentia delati conscius ; quoad intentato metu exciden- di gratia Cæsaris , si designatum & mox re- bellaturum Iudæorum Regem dimisisset in- columem , inflexus ille ad votum accusan- tium , IESVM , crudelissimè prius toto cor- pore à capite ad calcem flagellis conscis- sum , Iudæis , idipsum immani vociferatione flagitantibus , crucifigendum concessit . An- tè tamen quàm in Crucem tolleretur , sub- ornato in speciem jocularis Regis , coronâ in capite spineâ , sceproque arundineo in manu , illuserunt Pharizeorum Emissarij , positis coràm , ironicâ veneratione , genibus Regem Iudæorum salutantes ; moxque con- spuentes in ejus faciem , & crebris genas ala- pis tundentes ; tum cannam extorram dex- teræ , in verticem spinis obseptum impin- gentes . Tandem in Monte Calvariaë , vi- cino



cino Vrbi Hierosolymæ , ipsum Cruci af-  
 fixerunt . Sicque mortuus est in Cruce IESVS  
 Christus ad salvandos Peccatores . ita ut  
 Sanctissima ejus Anima verè à pretiosissimo  
 ipsius corpore separata fuerit , quando is in  
 Cruce expiravit . adhuc tamen tam animâ,  
 quàm corpore , licet invicem disjunctis ,  
 unitis Divinæ Personæ permanentibus : qua-  
 re sicut spiritus à Divinitate indivulsus avola-  
 vit , ita exangue cadaver , sive adhuc in Cruce  
 pendens , sive depositum & sepulcro conditum ,  
 comitem secum individuum intimè conjun-  
 ctam Divinitatem eandem ubicumque habuit ,  
 nusquam ab illâ destitutum . Cæterùm in mor-  
 te IESV Christi Sol obscuratus est , proprio  
 lumine amisso , Terra tota contremuit , scis-  
 sæ petrae sunt mutuo illisu , Monumenta  
 spontè mortuorum patuere , multis emissis  
 corporibus Sanctorum Hominum , qui vitæ  
 redditi , plurimis in Civitate Ierosolymâ se-  
 videndos præbuerunt . Quibus signis visis  
 qui præsentés adfuere morienti Christo,  
 convicti exclamarunt : verè utique illum  
 Dei Filium fuisse . Hactenus narrata San-  
 ctus Iacobus Apostolus profitens , adjunxit  
 hæc jam dictis per alios Apostolos : *Credo*  
*in IESVM Christum qui passus est sub Pontio*  
 O *Pila-*



*Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus.*  
 IESVS Christus erat Deus, quandoquidem  
 erat secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis:  
 simul idem erat verus Homo; ut pote Fi-  
 lius Virginis Mariæ, constans Animâ ra-  
 tionali & corpore humano. Quatenus Ho-  
 mo erat, verè mortuus est in Cruce, quan-  
 do est ei confixus. Mors siquidem aliud  
 nihil est nisi separatio Animæ à corpore  
 in quo & cum quo vivebat. Sanctissima  
 porrò Anima IESV Christi sejuncta est à  
 corpore, quando is in Cruce expiravit.  
 Tunc autem vinculo corporis soluta Anima  
 illa Sacratissima, permanens unita Divini-  
 tati Dei Filij, ut semper antea fuerat ex  
 quo Dominus Deus eam creavit, descen-  
 dit ad Limbum. Est hic locus subterraneus  
 in quo detinebantur Animæ Sanctorum Pa-  
 trum, Prophetarum, Patriarcharum, Alio-  
 rumque multorum, illic congregatæ, expe-  
 ctantes omnes Adventum Filij Dei, à quo  
 se liberandas & ex illo carcere transferen-  
 das in Paradisum sciebant. Semper usque  
 à primo Rerum conditû vixerunt in Mun-  
 do Boni Homines, qui cum essent Amici  
 Dei, & liberi proflores veritatis quam  
 cognoscebant, minimè dissimulare consueve-  
 rant



rant in occurſu Malorum quid ſentirent. Reprehendebant enim Peccatores, increpan-  
 do haud molliter ſcelera rebellantium in-  
 verecundè & impiè in Deum ac Creatorem  
 omnium communem. Id pravi ac flagitio-  
 ſi Homines moleſtè ſcilicet ferebant. Ergò  
 inſtincti adjutique à conjurato cum ipſis,  
 cujus auſpicijs militabant, Malo dæmone,  
 omnis generis maleficijs infeſtabant Bonos  
 Dei Amicos, captivantes, exterminantes,  
 nullâ non eos injuriâ & contumeliâ ve-  
 xantes. Huic tanto Vitarum discrimini  
 conſentaneâ proportione respondebat diver-  
 ſiſſima conditio Animarum è corporibus  
 per mortem emiſſarum. Earum ſiquidem  
 quæcumque Bonæ, dum in vitâ degerent,  
 fuerant; eæ corporum deinde vinculis per  
 mortem expeditæ, in eum ſe, quem voca-  
 ri Limbum dixi, conferebant locum. qui  
 quoniam longè infra terræ ſuperficiem pro-  
 fundo depreſſus hiatu eſt, Inferni quoque  
 & Inferorum appellatione deſignabatur. non  
 quòd illic, ſicut de Inferno ſimpliciter di-  
 cto paſſim intelligitur, tortor ignis ardeat,  
 aut vigeat alia vis noxia crucians animas;  
 quæ mala fontibus reſervantur. Iſtæ au-  
 tem, prout decebat puras ſclerum, Deo-



que gratas mentes, beatâ compostâ pace  
 quiescebant. Sed subest huic Tranquilla  
 Sedi Regio inferior, vocata Purgatorium,  
 quoniam Fullonica hîc velut quâdam est  
 purgandis & perpoliendis Animabus, quæ  
 mortalem quidem vitam capitalis infontes  
 criminis in Dei gratiâ clausurunt: cæterum  
 aut levioribus inspersæ navis venialium  
 culparum; aut nondum penitens explicitæ  
 sequacibus debitis noxarum lethalium; re-  
 vocatarum quidem salutari poenentiâ, non  
 hâc tamen adeò plenâ & perfectâ, ut sup-  
 plicij persolvendo piaculo requisiti omne  
 in solidum nomen expunxerit, hærentes  
 adhuc labes ex concretâ olim tabe, mor-  
 daci velut limâ tormentorum acrium per-  
 gunt eradere. quoad exæquatis ad libellam  
 culpæ ac poenæ ratiunculis residuis, cun-  
 ctisque harum reliquijs patiendo exhaustis,  
 liber Spiritibus in tersissimum denique ni-  
 torem defæcatis, aditus panditur cernendæ  
 hereditati, cujus interceptam poenali dila-  
 tione possessionem per legitimum spatium  
 tulerunt. Ultimus subterraneorum locus  
 est Infernus infimus, sive Tartarus, sedes  
 miserrima tam horribilium incendiorum  
 inextinguibiliter urentium, aliarumque om-  
 nis



nis generis adeò intolerabilium ærumnarum, ut si mortales seriò quotidiè, per horulæ spatium, meditando incumbèrent ad informandam, quamcumque assequi per hanc vitæ caliginem possunt, istiusmodi tormentorum imaginem, næ illi magis abhorrent à tot tantisque flagitijs sceleribusque consciscendis, per quæ ludibundè ac facilè sese obligare, luendis per totam æternitatem dirissimis hisce supplicijs, non dubitant. Ibi est Lucifer Princeps rebellium Deo Spirituum. Ibi omnes ejus Sectam secuti Dæmones, illuc è Cœlo detrusi. Ibi cuncti quotquot ab orbe condito ultimum spiritum extra Dei gratiam efflarunt homines culpæ lethalis Rei. In hanc stygiam fornacem qui semel sunt coniecti, æternùm sine spe gemunt, sensu semper puncti vivo ingentium & innumerabilium malorum, quorum nec remedium, nec laxamentum, nec solatium vel minimum, posse ipsis undelibet contingere per infinitam sæculorum omnium perennitatem, persuasissimum habent. O Fratres mei: quæ isthæc (malum) dementia nostra est! ita nos securos ab omni Tartari metu vivere, cum criminum in dies atrociorum congerendis in Con-



scientias nostras struibus, flammis illis sempiternis materiam sedulo paremus. An non hoc indicium est evidens nostræ, non dicam modicæ, sed planè nullius fidei? quippe quam etsi lingua profiteatur, manus tamen & vita certiori argumento refellit, ut recusare nequeat, qui se Christianum ferens, licentiam usurpat, in peccando, Mahumetanorum & Idololatrarum, quin si quando sese dicat credere ignes Infernos, & pœnas nullo terminandas sine Dei Legem migrantibus servatas, fallere ac mentiri judicetur. Ecclesia, vel Fidelium in Terris militans, vel Sanctorum cum Deo regnantium triumphans in Coelis, nunquam orat pro mortuis in infimum Infernum relegatis; quippe quorum in omnem æternitatem Paradiso exclusorum spem planè conclamata irreparabilemque ruinam norunt. Verùm ambæ Animabus in Purgatorio gementibus benignâ suffragatione opem ferunt: uti & pro salute adhuc in vitâ degentium sollicitæ, gratias illis conantur impetrare, quarum auxilio exitiosissimum in æterna incendia Tartari, lapsum effugiant. Christi I E S V Sextâ Feriâ mortui Anima Sanctissima Divinitati semper juncta descendit



dit in Limbum: & quotquot illic Animas reperit adventum suum expectantes, eduxit inde: tum die tertiâ, quæ fuit Dominica surrexit à mortuis, suam iterùm Sanctissimam Animam rejuuens eidem corpori quod in Cruce expirans reliquerat. Mox redivivus & dotibus beatæ immortalitatis vicens, apparuit Matri primùm suæ Mariæ Virgini Sanctissimæ, deinde Apostolis & Discipulis, aliisque sibi caris, eo ipsorum gaudio, quo & abstergeretur, & abundè compensaretur moeror ex ejus morte ipsis gravissimus obortus. Suis etiam Inimicis & Crucifixoribus per Discipulos obtulit veniam, réque ipsâ præbuit, quotquot admittere voluerunt. Hi non pauci fuere. nam miro eventu contigit, plurimos qui Christo credere viventi, prædicanti, ac prædicationem signis ingentibus confirmanti, pertinacissimè recusaverant, ei non amplius viso vel audito, sed testimonio Discipulorum ipsius surrexisse à mortuis credito, fidem plenam adhibere; in ipso spem ponere; ejusdemque, ut Dei ac Salvatoris hominum, cultum religionemque profiteri. Hactenus exposita sic se habere Sanctus Thomas affirmavit his verbis: Cre-



do in IESUM Christum qui descendit ad Inferos, & tertia die resurrexit à Mortuis. Mansit Christus in terris postquam resurrexit à mortuis per dies quadraginta; duplici, quantum intelligitur, de causâ. Primùm, ut planè persuaderet Discipulis se resurrexisse: deinde ut eos doceret quid agere deberent. Adeo ij turbati fuerant inexpectatissimo eventu mortis ejus, tantumque absorpti tristitiâ ex eo acerbissimo casu natâ, ut ægerrimè adducerentur ad credendam ipsius resurrectionem. nec unâ ad id alterave satis foret apparitio, morâ opus erat, & multiplicatis per iteratos congressus vitæ verè resumptæ indicijs manifestissimis. Hoc ut suaviter, & modo infirmitati humanæ accommodato Benignissimus Dominus ageret, triumphalem in Cœlos ingressum suum quadraginta dierum spatio distulit. crebris interim Discipulos sermonibus erudiens, quid credere ipsi, quidve facere, quid Gentes deinde omnes docere, quidque persuasis de Dogmate, operandum præscribere oporteret; ut tam ipsi quàm cæteri homines ipsorum prædicatione credituri, pervenire ad Regnum Cœlorum possent, & eò se præcessurum suo tempore



pore subsequi. Consecutus utrumque quod optaverat, & cum ejectâ omni penitus ex cunctorum Discipulorum mentibus dubitatione de morte ac resurrectione ipsius verissimi Dei Filij ac Salvatoris hominum; tum satis omnibus edoctis de Regno Dei, hoc est de Ecclesiâ fundandâ, deque ipsis Dogmatibus tradendis, tum de Sacramentis & ceterâ Christianâ ubique terrarum per Apostolos instituendâ disciplinâ, causam in terris morandi nullam amplius Christus habens, profectus cum Mariâ Virgine suâ Matre, cum Apostolis & multis alijs in Montem Oliveti, cunctis ijs spectantibus, Cœlorum inde summa conscendit, liberatos è Limbo Patres secum ducens. Tunc patuerunt altæ Cœlorum fores, effusique obviam omnes Angeli triumphanti Domino, pompam fecerunt procedenti usque ad Thronum ipsi paratum ad dexteram Dei Patris. Eodem reversus, unde prius descenderat, carnem humanam in sacrâ Genitricis Virginis alvo sumpturus. Illic sedet Advocatus peccantium, causas agens nostras apud Patrem, & iram ejus justam exarmans, auxiliaque submittens, quibus adjuti damnationis æternæ fugere periculum possimus.

Hæc



Hæc est sententia Articuli Symboli Sancto Iacobo Minori tributi : *Credo in IESUM Christum, qui ascendit in Cælum & sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Quia* verò hîc Mundus sicut habuit initium, ita suo terminandus fine est; ut sua ei clausurâ, ac quemadmodum est consentaneum Divinæ Conditoris providentiæ, contingat, non prius hoc commercium humanæ Societatis, hæc generationum latè sese propagantium successiva varietas desinet, quam de cunctis omnium Hominum cogitatis, dictis & operibus æquum iudicium feratur, debitâ cuique mercede constituendâ. Iudex supremus IESVS Christus est ad istam causarum omnium exercendam cognitionem è Cœlis descensurus, prout eum certissimè facturum, jam tum in ejus è terris ascensu denuntiatum per Angelos est. Is forum aperiet, in quo universi qui unquam & uspiam fuerunt homines vadimonium sistent, coràm inexorabili Arbitri cuncta scientis, Omnipotentis, Tribunali, ad quæsitâ responsuri, num propositis ab Ecclesia dogmatibus crediderint? num præcepta servaverint? qui sic fecerint in Gloriam Paradisi admittentur: qui verò credere recuserint,



verint, quales sunt Mauri, Iudæi, Genti-  
 les, eos ignis excipiet æternus, ubi nulla  
 Redemptio. qui autem fidem quidem pro-  
 fessi fuerint, ut Mali Christiani, manda-  
 tis verò Decalogi obedire neglexerint, is  
 pariter Christi IESV irrevocabili sententiâ  
 flammis æternum usturis addicentur. An-  
 tequam hæc fiant, instante Mundi exitu,  
 omnes qui tunc vivent homines morien-  
 tur. Est enim hoc naturæ debitum nulli  
 non solvendum; utique cum eâ conditione  
 quivis homo nascatur, ut aliquando vivere  
 desinat; cuius legis cum in Christo qui-  
 dem Dei Filio gratia facta sit; manife-  
 stum est, quàm temeraria & irrita spes fo-  
 ret cuiusvis alterius id sibi privilegium  
 spondentis. Cæterum non suâ causâ IESVS  
 est mortuus, sed pro peccatis nostris, mox  
 tamen resurrexit propriâ virtute, ut & re-  
 surgendi nobis fiduciam resurrectione sanc-  
 ret suâ, & acerbitatem necessitatis morien-  
 di Pijis bonisque Amicis suis, exempli pro-  
 prii communione temperaret. Ergo vel si  
 qui Sancti & omni virtute perfecti in Mun-  
 do fortè reperirentur, quando ejus statu-  
 tus imminebit finis, haud est putandum  
 eos citrà mortem transferendos in speratam  
 & pro-



& promeritam ipsis felicitatem. verum ij quoque mortem prius gustabunt, ac sic cum cæteris vitæ redditi, suis quisque, iisdem quæ prius habuerant, corporibus reſumptis, ſed per beatas dotes in ſtatum reformatis meliorem, tranſibunt in ſortem promiſſæ felicitatis. In hunc modum Chriſto IESV ad ſupremum exercendum Iudicium è Coelis descendente, omnes à primo ad ultimum homines, prius mortui, reſurgent, omnes ab eo iudicabuntur, Boni pariter & Mali: verum ingenti, & in omne deinceps ævum immutabili, diſcrimine, illis ad gaudium, his ad exitium gemitumque perpetuum tranſituris. Hanc Sanctus Philippus profitens veritatem, dixit: *Credo in IESVM Chriſtum è Cælo venturum ad iudicandos vivos & mortuos*. Quando Chriſtiani Crucis formâ nos ſignamus, Sanctiſſimæ Trinitatis Fidem certam profiteſmur. Id myſterium huiusmodi eſt: Deum unum ſolum ſingularem credimus & colimus, ſed Trinum eundem in Perſonis. Prima perſona Deus Pater, non eſt factus, nec creatus, nec genitus. Secunda Perſona Deus Filius, eſt genitus à Deo Patre, non factus nec creatus. Tertia Perſona Spiritus Sanctus

ctus



ctus procedit à Patre & Filio , non crea-  
 tus nec genitus . Id indicamus quoties nos  
 signamus , exprefsâ per manûs motum Cru-  
 cis figurâ . Ponendo enim dextram in fron-  
 te , simulque pronunciando *In nomine Pa-*  
*tris* demonstramus Deum Patrem nec fa-  
 ctum nec genitum esse . Postea demitten-  
 do manum eandem ad infimum pectus , pa-  
 riterque dicendo : & *Filij* , significamus Deum  
 Filium à Deo Patre genitum non factum  
 nec creatum . Porrigimus deinde manum  
 in humerum sinistrum dicentes interim , &  
*Spiritus* ; tum eandem retrahendo ad hu-  
 merum dextrum , dicendo , *Sancti* , decla-  
 ramus Sanctum Spiritum à Patre & Filio  
 procedere . Hanc bonus omnis Christianus  
 sine ullâ dubitatione tenere ac confiteri Fi-  
 dem debet , consubstantiali Patri ac Fi-  
 lio , ex utroque procedentem Spiritum  
 Sanctum credens , adorans , magnificans ;  
 qui suis sanctis inspirationibus nos à pec-  
 catis revocat , & movet corda nostra ad  
 observanda decem Mandata Legis Dei Do-  
 mini Nostri & præcepta Sanctæ Matris Ec-  
 clesiæ Catholicæ ; inclinât etiam ad exer-  
 cenda opera Misericordiæ Corporalia & Spi-  
 ritualia . Hoc de Sancti Spiritus Divinitate  
 dogma



dogma complexus est Sanctus Bartholomæus his verbis : *Credo in Spiritum Sanctum* . Quicumque Christianam amplexi Religionem , ejus officium tenere ac Fidem præstare decrevimus , non modò credere , tanquam ad salutem necessarium , sine ullâ dubitatione debemus , quidquid de Christo ipso Domino , Deo simul & homine , Apostoli , Discipuli , Martyres & Sancti omnes crediderunt : sed etiam pari necessitate adstringimur universi ad persuadendum certissimè nobis , institutam ab eo in terris fuisse Catholicam Ecclesiam , cui qui præsentia à Sancto Spiritu diriguntur . ita ut dubitare nullo pacto liceat quin , quæ illi præscribunt observanda , & tradunt tenenda , recta & vera sint . In ijs enim quæ universalis consensu cunctis pariter agenda vel vitanda decernunt ; uti & in illis quæ circa vetera dogmata , vel subnascentes de ijs controversias , maturo consilio definiunt , habent sibi promissam Divini Spiritus assistentiam , quâ errare non sinantur . Sanctos igitur Canones Patrum , Decreta Conciliorum , Edictaque universalia Pontificum Summorum à Cardinalibus , Patriarchis , Archiepiscopis , Episcopis , cæterisque

Præ-



Prælati Ecclesiæ proposita, pronâ veneratione, certâ fide, prompto debemus obsequio excipere; planè persuasi, juberi eadoceri que autoritate ac Sapientiâ Christi Domini, per quos sibi substituit Ministros suam Ecclesiam gubernare, & ad finem ipsi præfixum æternæ salutis dirigere pergentis. Hoc nobis commendare voluit Sanctus Apostolus & Evangelista Matthæus quando dixit: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*: Illud etiam pro certissimo tenemus quotquot non falsò Christianum nomen gerimus: merita operum heroicorum quæ Christus in vitâ mortali agens patiensque, Patri obediendo, in salutem hominum ingentia congeffit, communicari, & influxu quodam intimo proficere veris omnibus Christianis in Dei gratiâ perstantibus. Ita ut quemadmodum in corpore naturali membra invicem communicant quod cuique inest bonum, vigore se in cunctos artus, ex capite præsertim, propagante: ita in corpore mystico (quale est Ecclesia cujus caput Christus est) membra singula, hoc est, Fideles cuncti, hauriunt succum arcanum quo vegetantur & augentur ex unigenito Dei Filio Christo IESU, cui ut vertici adhærent. nutri-

tri-



trimentum enim inde illis intimum affluit  
 alimoniam cœlestis, per canales maximè se-  
 ptem Sacramentorum derivatum. Ea sunt  
 Baptismus, Confirmatio, Chrisma vulgò di-  
 cta, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema un-  
 ctio, Ordo, Matrimonium. quibus sacris  
 mysterijs quicumque cum debitâ dispositio-  
 ne initiantur, illi gratiam habitualementem ac-  
 ciipiunt vel augent; qualitatem animæ vi-  
 vificam à Deo concessam indignis per se  
 mortalibus, intuitu Sanctorum Operum à  
 Christo dum viveret in terris patratorum.  
 Quia enim ille, ut Patri obsequeretur, tot  
 mala toleravit, tot ac tantas injurias &  
 contumelias volens pertulit, dolores deni-  
 que acerbissimos Crucemque ac mortem ul-  
 trò subiit, mercedem quantamvis illis fa-  
 ctis est lucratus. Porrò idem ex se felix  
 tali lucro non indigens, jus ad illud suum  
 in nos transfert, sibi que imputat quod ex  
 illâ nobis proficit. Hinc quæ confertur no-  
 bis gratia, fructus meritorum Christi est,  
 & influxus quasi capitis in membra. Quem-  
 admodum verò non solum caput subjectis  
 artibus, sed membra etiam se occultis af-  
 flatibus mutuò fovent, alunt & vegetant;  
 ita, præcipuè quidem, non tamen omninò  
 unicè,



unice, ditamur participatione thesaurorum  
 quos Christus est recte à se factorum & pa-  
 tienter in vitam mortali toleratorum pretijs  
 concessit. Voluit quippe idem etiam è  
 cumulo gratiæ apud eum partem Servorum  
 suorum Fratrum Nostrorum laudabilibus  
 actis & laboriosis perfectionibus, in nos  
 aspergi ac promanare quidquam. Sic, illis  
 orantibus, nobis impetratur, illis vice no-  
 strâ patientibus, aut præteritas suas perfec-  
 tiones offerentibus, nos pœnæ debito sol-  
 vimur. Bona denique omnis generis ope-  
 ra eorum, nobis in Dei gratiâ, & in  
 Ecclesiæ corporis compage persistentibus, va-  
 riè profunt, salubri effluvio commeabilis  
 in connexa redundantia. Agnoscimus præ-  
 terea profitemurque, Deo Domino Nostro  
 vim ac potestatem inesse remittendi pec-  
 cata, hoc est, abolendi maculas ac condo-  
 nandi pœnas facinorum pravorum, per  
 quæ, abutentes arbitrio nostro nos homi-  
 nes, à Deo secedimus, & contra eum re-  
 bellamus; ideo merito excidentibus ipsius  
 gratiâ, in quam nos antea benignè ad-  
 miserat. Confitemur etiam & credimus, istam  
 potestatem à Christo Domino datam &  
 communicatam fuisse Sacerdotibus Ecclesiæ



Catholicæ : vi cuius communicationis , auctoritas nunc illis competit absolvendi à peccatis , quoscumque satis paratos invenerint , ut coram Deo ritè solvi culparum , vinculis possint . Quare conscios Dei offensi id sedulò agere oportet , ut dignâ exhibendâ scelerum suorum pœnitentiâ , se ad promerendam peccatorum veniam , & sic assequendam salutem Animæ , disponant . Ea enim controversia vertitur in sacro , cui se sistunt , Tribunali , Sacerdote Iudice , digni nec-ne ij sint , qui beneficio absolutionis impertiantur . Accusator idem qui Reus in isto foro est . Arbiter Sacerdos causam cognoscit , diligenter cuncta pro tantæ dignitatis officio , considerans . Confessio peccatorum mortalium omnium integrè à Pœnitente debet fieri , nisi tempus , ut in subitis periculis , ad id plenè peragendum desit . universis satis cognitis , pronuncian- te Sacerdote absolutionis formulam , Dei gratia rursus infunditur Pœnitentibus , per quam delentur peccata quibus prius eorum animæ deformabantur ; & aternæ pœnæ , cuius pro ijs debitores tenebantur , certa- ipsi remissio conceditur . Vtrumque istud Doctrinæ Catholicæ caput amplexus San-  
ctus



etus Simon his verbis est : *Credo Commu-*  
*nionem Sanctorum , & remissionem peccato-*  
*rum .* Quia verò fieret injuria Divinæ In-  
 finitæ Bonitati atque Iustitiæ , nisi certò cre-  
 deretur ; haudquaquam omiffurum Deum ,  
 largè remunerari eos qui illi fideliter infer-  
 viunt , observandâ exactè Sanctiffimâ ipsius  
 lege , aut è contrario dignis pœnis affice-  
 re nefarios contemptores , sui Numinis &  
 mandatorum ejus pervicaces transgressores ,  
 credimus omninò futuram *Resurrectionem*  
*carnis* , hoc est , omnes planè quotquot vi-  
 xerunt antehac , vivimus hodie , vivent  
 post nos , Homines , resumpturos in fine  
 Mundi reviviscendo corpus idem quod cum  
 morerentur habuerunt : & in eo deinde  
 perpetuò victuros in tormentis aut in glo-  
 riâ . Ita enim necessarium planè est , ut  
 Deus Dominus Noster pro suâ rectiffimâ  
 & incorruptiffimâ Iustitiâ , hinc quidem æter-  
 nis gaudijs refoveat corpora Sanctorum , qui  
 suos sensus & membra laboribus in vitâ  
 mortali continuis subjecerunt , tolerantes  
 etiam , ne à Dei Amore divellerentur , in-  
 sultis & plagas Persecutorum , eos ad Dei  
 offensam pertrahere vi omni ac dirâ crude-  
 litate contendentium . In quo etsi virilis



pars, Animæ in officio perstantis, fuit: tamen cum corpora quoque fraudata sibi convenientibus bonis, vexata, tortâ, immaniter non rarò istâ occasione lacerata fuerint, digna ea quoque sunt quibus pars quietis, lætitiæ ac gloriæ consentanea contingat. Inde ex aduerso non minus erat conveniens, corpora flagitiosorum hominum, qui dum viverent, nullo legis Divinæ respectu, omnis generis nequitiam se licentissimè inquinaverant, gulæ & obscœnis cupiditatibus, spretis Dei mandatis, obsequentes, castigari suâ vice; ac illicitâ libidine appetitas voluptates, impositâ invitissimis, ignium nunquam extinguendorum æternâ tolerantiam, luere; sicque vel ferò intelligere: quantum malum sit, Dei summè venerabilis supremum Numen, contemnere, atque irritare, fuisse ausam vilissimam creaturam. His de causis resurgent, ut dixi, omnes homines boni pariter & mali, magno illo die Iudicij supremi; Animæque illorum eadem quæ nascendo acceperunt, & usque ad mortem animarunt, iterum induent corpora; ijs nexu deinceps in ævum omne indissolubili devinctæ; cum ijs ituræ, prout vitæ cuiusque merita erunt, aut in-

Cœ-



Coelum ad regnandum cum Christo in  
 Gloriâ Paradisi, aut in Tartarum ad ge-  
 mendum cum Diabolo. Hoc voluit pro-  
 mulgare Sanctus Thadæus quando dixit:  
*Credo resurrectionem carnis.* Quoniam au-  
 tem noster animus ad imaginem & simili-  
 tudinem Dei Omnipotentis factus, inquan-  
 tum naturæ spiritualis est, præditus po-  
 tentijs Divinas perfectiones referentibus,  
 scilicet, Voluntate, Intellectu, Memoriâ,  
 atque, ut talis, instinctus ab ortu est, innato  
 quodam & à conditore afflato desiderio,  
 suo se prototypo jungendi, frustra istum  
 fuisse tam excellenti creaturæ à Creatore  
 ipso inditum semper vigentem appetitum,  
 credendum utique non est. Sed pro in-  
 dubitatissimo potius tenendum, prout om-  
 nes Christiani persuasissimum habemus; fu-  
 turum, Deo adjuvante, humanum animum,  
 nisi per ipsum stet, tanti voti compotem,  
 & perventurum ad fruitionem Summi Boni,  
 quam vitam æternam dicimus. Et  
 hujus quidem, jam ante resurrectionem cor-  
 porum in Dei gratiâ defunctæ, ac plenè  
 purgatæ peccatorum reliquijs Animæ, pos-  
 sessionem ineunt, ad Deum jam tum vi-  
 dendum ac fruendum admittæ. cæterum



istam felicitatem sine interpellatione ullâ, resumptis suo tempore rursusque copulatis suis sibi, sed longè meliori conditione, corporibus, in perennitatem finis expertem propagabunt. Toto illo immensæ sempiternitatis spatio gavisuræ cum Deo in Cœlis inter Angelorum Beatorum Innumerabilium, & Sanctorum hominum statûs ac conditionis omnis, festo plausu triumphantes Exercitus; Dei Domini Creatoris & Domini communis benevolâ & beatificâ præsentia, cunctis simul omnes bonis cœlestibus cumulante. Quorum bonorum tam excellens est sublimitas, ut quantumvis cogitando aut ratiocinando conemur in hac vitâ mortali, nullam unquam possimus ideam earum aut imaginem informare mentibus, quæ ad rei veritatem vel longo intervallo sese admoveat. adeo insuspiciabilis illa Divinæ largitatis se totam in sibi caros Beatos effundentis magnificentia est. Tamen hoc exiguum quod de illâ ineffabili felicitate, quasi balbutiendo, dicere possumus, abundè illam nobis expetibilem ostendit. Ibi nimirum læti ac tranquilli florantissimâ pace vivunt Sancti, nullâ cujusquam querelâ, nihil ipsi quo quemquam

incu-



incusent habentes ; cari cultique omnibus,  
 universos vicissim amore ac veneratione  
 suavissimè complexi ; cunctis abundantes,  
 non dicam quibus egent , sed quæ deside-  
 rare ad consummatam gloriam gaudium-  
 que possunt , sine ullo ullius sensu , appul-  
 su , aut metu , mali ; beatissimâ contra Bo-  
 norum omnis generis omnium copiâ & tam  
 profusè abundante , ut vota excedens , etiam  
 in saeculorum interminabilium usam suffi-  
 ciat ; & tam certâ tamque tutò custoditâ ,  
 ut timeri periculum nullum unquam possit  
 ejus vel intervertendæ vel minuendæ . Hoc  
 intellexit Sanctus Matthias quando dixit :  
*Credo Vitam aeternam .*

## EPISTOLA II.

IOANNI III. REGI

LVSITANIÆ .

**D**omine . De Rebus Religionem & Dei  
 Domini Nostri cultum atque obse-  
 quium spectantibus in his Oris Malacæ &

P 4

Mq-



Molucci, confido Maiestatem Tuam ad minutum distinctè cognituram ex literis quas scribo ad Societatem in Europam; cum quibus sunt etiam rescripta ad literas huc ad nos datas à Te, Domine, quem habemus & agnoscimus præcipuum & verum Protectorem universæ Societatis IESV; amore ac beneficijs cumulatè talis nominis officium explentem. De statu Religionis ac Christianitatis Indiæ, Pij ac Religiosi Viri qui isthinc ad Vos, studio promovendi Divini obsequij, se conferunt, Tuam Maiestatem plenissimè docebunt. Præterea Pater Frater Ioannes de Villa-comdea fidelis Dei Minister, & multâ præditus experientiâ rerum quæ geruntur in Insulâ Cèllano, de illis scribit quæ ad exonerandam conscientiam, tam ejus, quam Tuæ Maiestatis, significare ipsum & Te cognoscere, vtriusque interest. Ea ille fusè clarèque, ac summâ fide differit, partim in Epistolâ inscriptâ Tuæ Maiestati, partim in Actis ac Commentarijs simul missis: quæ mihi omnia communicavit. quare dignam rem suâ cæterâ sapientiâ fecerit Maiestas Tua; si tam fidâ notitiâ rectè utens, quamprimum ea iusseris quæ ad defungendum



dum tuo hac in parte munere ac officio,  
 necessario decernenda videbuntur. Deni-  
 que, Fratres quoque meos à Societate, existi-  
 mo & ipsos scribere ad Maiestatem Tuam;  
 redderéque singillatim ac minutè rationem  
 Christianitatum Comorinensis, Goanæ, &  
 aliarum quæ per hos Indiae Tractus aut  
 jam conditæ sunt, aut quotidie condan-  
 tur augetur-ve. Quod ad me privatim,  
 attinet, multum ac sæpe cogitavi, deli-  
 beravique cum animo meo, ecquid expo-  
 nerem per literas Maiestati Tuæ quod mi-  
 hi circumspicienti quæ hæc sunt, & atten-  
 tissimè cuncta reputanti, faciendum vide-  
 retur ad latè disseminandam in his Terris,  
 & firmiter stabiliendam Nostram Sanctam  
 Fidem. Hinc quidem impellebat ut ag-  
 gredere, studium obsequendi Deo & ejus  
 promovendæ gloriæ: deterrebat aliunde  
 ne auderem, quòd desperarem exiturum  
 inde operæpretium. neque enim in re,  
 unquam conferenda confidebam quæ pro-  
 posuissem. Atqui tacere salvo officio haud  
 mihi videbar posse; utique cum appare-  
 ret, non sine certo consilio concessum mi-  
 hi Divinitus, ut hos penitus animo sensus  
 conciperem. Nec comminisci poteram  
 veri.

veri.



verifimilius quidquam cur Deus ista mihi  
 aperire voluisset, nisi ut à me indicaren-  
 tur Maieftati Tuæ: & tamen rursus vere-  
 bar, ne si quod me angit exponerem, hæc  
 mea Epistola forte in horâ mortis ac-  
 cufaret apud Deum Maieftatem Tuam, ag-  
 gravaretque conditionem ac periculum il-  
 lius Iudicij supremi, demendâ Tibi excu-  
 satione ignorantia. Credat mihi quaeso  
 Maieftas Tua, id me non mediocriter an-  
 gebat. quippe cum mihi essem intimè con-  
 scius, nihil me spectare aut cupere hic  
 aliud, nisi laboribus me conficere, & vi-  
 tam ipsam profundere in salute Animarum  
 per hos Indiae Tractûs procurandâ, ut sic  
 detraherem quantum possem de orere of-  
 ficij incumbentis Tibi; & defungendâ par-  
 te commendati Curæ Tuæ muneris, expe-  
 direm rationes Conscientiæ Maieftatis Tuæ;  
 securioremque Te in Iudicij extremi terri-  
 bili aleâ præstarem. quod ut tuâ causâ  
 velim, & quavis contentione ac ærumnâ  
 meâ bene putem emptum, meretur ingens  
 Tuus in Nostram Societatem Amor. Hæc  
 contrariæ, Domine, sollicitudines, inter  
 officij mei & tui periculi alternantes me-  
 tûs, mirè miseréque, ut verum fatear,  
 meum



meum ad se quæque variè trahentes, discerpebant confundebantque animum; quoad denique in eam partem deliberatio confedit, quæ defungendum semel, exonerandamque effusione diù pressorum sensuum conscientiam præscribebat meam. Enigigitur quæ à me in his Indiarum, Malacæ ac Moluci Regionibus, præsentibus, eaque longâ, experientiâ comperta, convulserant mihi mentem & ægritudine conficiunt. Pro certo habeat Maiestas Tua; in his locis, uti & alibi, plerumque omitti multa quæ fieri ad Dei obsequium expediret, ob quasdam Sanctitatis species fucatas, revera vitiosas & valde noxias æmulationes; arcanis offensusculis eos invicem committentibus qui rebus hîc gerendis præsumunt. Dum quidam ait: meum est hoc agere; nec alteri concedam ut ejus facti laudem tollat. Alius contra: quando ego non hoc facio, à vobis fieri non gaudeo. Ecce alter diversè queritur: Ego pondus diei porto, & labores exantlo: gratiæ ac fructus operum proveniunt alijs. In istas altercationes ardescens studijs, pro se & scribunt & fatagunt, quod suam quisque rem promoveat. Inter hæc tempus

pus



pus consumitur, occasiones elabantur: locus non relinquitur proferendo cultui Dei Domini Nostri. Nec dissimili de causâ sapius evenit, ut quæ magnum honorem præcipuanque utilitatem allatura Maiestati Tuæ fuerant in Indiâ, negligantur. Vnum isti malo remedium excogitavi, quod si adhiberetur, & multi, ni fallor, Christiani fierent in his Tractibus; & qui ex ijs, quod apud Potentes gratiâ careant, expositi sunt iniurijs, cari commendati- que Magistratibus forent: ut nemo eos vexare, nemo spoliare, neque Lusitanus neque Indus auderet. Hoc autem est: ut significet Maiestas Tua, vel per literas Prætori ac Præfectis qui jam sunt in Indiâ, vel voce coram, ijs quos huc mittes rebus præfuturos, clarè inquam ijs significes ac certò denuncies: Te incrementum Nostræ Sanctæ Fidei, quod præ omnibus cupis, præcipuè, ante omnes Religiosos & Sacerdotes qui in Indiis sunt, ipsi Prætori aut loci Præfecto commendare; in eo præsertim confidere; ab eo repetiturum rationem; ei quod benè, quodve perperam actum in eo genere fuerit, totum imputaturum, præmioque aut supplicio repensurum.



rum . Atque in eâ declaratione, quò minus esset interpretationibus obnoxia, cuperem equidem nominatim exprimi nos omnes qui versamur in his locis; negando, in quemquam nostram, aut in omnes simul, deonerare Te ullam partem officij quod conscientiam Tuam gravat; sed in eum, solum qui à Te autoratus Prætoris aut Præfecti potestate, locum quemcumque obtinet, ubi rei Christianæ gerendæ qualiscumque occasio est . cum enim Deus Maiestatem Tuam isto gravissimo constrinxerit officio, consulendi videlicet æternæ salutis subiectarum Tibi Gentium, non alijs à Te id debere demandari, quam Vicarijs autoritatis isthuc Tuæ, & personam Tuæ Maiestatis, dignitate Magistratûs, repræsentantibus: quorum alicuius negligentia si evenisse comperias, ut non multi Christi Fidem, eo gubernante, in loco ipsi commisso susceperint, pœnas quæ ob neglectum obligationis tantæ in tuum ipsius impenderent caput, Te in ipsum aversurum; cum jam antea clarè denunciaveris, totum istud gravissimum officium, imbuendas curandi Fide Christi animas Infidelium Tibi subiectorum, Te in tuos Primarios horum tracturum

Quum



etiam Ministros exonerasse . Quoties igitur  
 ad Te Prætor aut Præfectus scribet , ex-  
 ponat quo loco Christiana res sit ; quot &  
 qui quales-ve crediderint ex Ethnicis : quæ  
 spes sit quæve facultas adducendorum alio-  
 rum . Literis ejus solis , in his quæ de  
 hoc genere feruntur , fidem adhibiturum  
 Te ; alijs quorumvis eo de argumento scri-  
 ptis , non acquieturum . Quod si eo in  
 loco vel Provinciâ cui quisque præest , eo  
 tempore quo præfuit , parùm aucta nume-  
 ro Neophytorum Ecclesia Nostra Sancta  
 fuerit , cum constet multum ubique ac sem-  
 per augeri posse , modò Præsides velint ;  
 seriò ac fide regiâ denunciet Maiestas Tua  
 ipsis in Diplomatum quibus eos instituis  
 & potestatem confers , Te pœnas ab ipsis  
 repetiturum . Idque percuperem Te iure-  
 iurando confirmare ; pollicerique palam  
 interposito solemnî formulâ conceptis Ver-  
 bis Dei Nomine ; Te , per quemcunque  
 Præsidem steterit , ne Fides propagetur :  
 eum , postquam redierit in Lusitaniam ,  
 mulctaturum bonis , & pecuniam ejus rem-  
 que familiarem universam in Opera Mife-  
 ricordia expensurum ; ac præterea vincu-  
 lis ipsum & durâ custodiâ multis annis de-  
 tentu-



tenturum . Clarèque moneas ne errent ,  
 sibi que blandiantur , quasi minæ deducen-  
 dæ in rem nequaquam sint . certo enim  
 certius , Te nullas , quæcunque obtendi pos-  
 sint , excusationes accepturum : vnamque  
 restare ipsis viam Tuæ severitatis evitandæ ,  
 promerendæque gratiæ , si quamplurimos ,  
 locis & temporibus quibus rexerint , effe-  
 cerint Christianos . Cur ita fieri necesse  
 sit multis possem experimentis , quæ mihi  
 sunt perspectissima , demonstrare . Sed hæ-  
 rere in his nequeo , ne molestus sim Maie-  
 stati Tuæ ; & meas ærumnas præteritas ac  
 præsentis , sine spe operæpretij , recitem .  
 Tantum dico : Si Prætor aut Præfectus ,  
 quicumque sit , certissimè sibi persuaserit ,  
 talia ex vero à Maiestate Tuâ dici , pla-  
 néque ita facturum Te sicut denunciasti ac  
 iurasti , vno anno universâ Insula Ceila-  
 ni , & multi Oræ Malabaris Reges , to-  
 tumque quam latè patet Comorini Pro-  
 montorium , Christi Religionem amplecten-  
 tur . quamdiu vero Prætores aut Præfecti  
 locorum Indiæ non vrgebuntur isto metu  
 dignitatis & rei familiaris amittendæ , nisi  
 Christianos plurimos fecerint , nullum ma-  
 gnum speret Tua Maiestas successum prædi-  
 dica-



dicationis per Indias Evangelicæ ; certissi-  
 mumque habeas , nec accessuros multos ad  
 Baptismum , nec qui accesserint multum  
 in Religione profecturos . neque omnino  
 per aliud stare quominus quotquot vivunt  
 Homines in Indiâ Christi Divinitatem  
 agnoscant , & ejus Sacram. Doctrinam pro-  
 fiteantur , quàm quod , qui Prætor aut  
 Præfectus id curare neglexit , nullâ per  
 Maiestatem Tuam gravi poenâ mulctatur .  
 Et quoniam vix spero id unquam futurum ,  
 parum abest , quin me hæc scripsisse pos-  
 siteat : ubi præferim reputo ; forsitan  
 Maiestatem Tuam ex hoc ipso quod Te  
 de hoc admonui , inexorabilius apud Dei  
 Tribunal judicandam . nec scio utrum  
 tali tempore admittenda sit exceptio quâ  
 forte allegabis : Te non fuisse obligatum  
 ad fidem adhibendam meis literis . Ex  
 animi mei sententiâ , summâ fide , profiteor  
 Maiestati Tuz , me nequaquam scripturam  
 hæc fuisse , quæ hæctenus exposui , de Præfe-  
 ctis aut Præsibus horum Tractuum , si pos-  
 se me reticere ista sine crimine , persuade-  
 re mihi ullo modo potuissem . Nondum ,  
 Domine , planè constitui an sim iturus in  
 Iaponiam : sed magnum mihi momen-  
 tum ,



tum , vt in confilium eò proficifcendi propendeam , addit , quod valdè diffido adfuturum mihi hîc in Indiâ eum verum & efficacem Magiftratuum favorem qui eſſet neceſſarius ad incrementum Noſtræ Sanctæ Fidei , & ad conſervationem Chriſtianitatis jam factæ . Obſecro atque obteſtor Maieſtatem Tuam , per , quo Deum Dominum Noſtrum proſequeris , amorem ; quôque flagras ei gratificandi , ſtudium , ut tuis fideliffimis per Indias Subditis , mihiq; cum illis , tantum regiæ iſtius indulgeas gratiæ , vt proximo anno multos Noſtræ Societatis Concionatores hûc mittas . Nam Tibi Domine veriffimè denuncio , multum talibus egere Arces tuas Regias per Indiam ; tum ob Luſitanos qui in illis Præſidijs degunt , tum ob novos Chriſtianos qui ſubiectis in Urbibus aut Pagis vivunt . Expertus loquor . quæ , inquam , vidi , quæque præſens ſenſi ad hoc ſcribendum me impellunt . Quo tempore Malacæ , quôque in Molucis fui , bis quolibet die Dominico , aut alioqui feſto , ad Concionem dicebam . Id ita facere cogebam , quòd egere plurimum & milites & populum qui ibi ſunt , multi-

Q

pli-



plicato Divini Verbi pabulo videbam. Lusitanos igitur de sacro pulpito docebam ad matutinum Sacrum: à prandio Filios, & Filias, prætereaque Mancipia ipsorum, & liberos ex Indigenis Christianos, accommodato ad captum cuiusque sermone erudiebam; Capita Christianæ Doctrinæ singillatim edisserens. Certo verò infra Hebdomadam die ad congregatas in Templo vxores Lusitanorum, tam Indigenas, quam ex utroque genere mixtas, concionem Catechetiçam habebam de Fidei Articulis & Sacramentis Confessionis & Communionis. Paucis annis ingens operæpretium ad Dei obsequium extaret, si hîc docendi tenor constanter in locis omnibus vigeret. Intra ipsas porrò, Arces tradebam per id tempus quotidie Doctrinam Christianam post meridiem liberis Lusitanorum vtriusque sexûs; Servis item & Ancillis eorundem, ac Christianis Indigenis. ex quâ Institutione præsens fructus extabat, quòd Idololatricæ superstitiones & magicæ præstigiæ, quæ inter rudes Neophytos, antea frequentabantur, jam prorsus omitterentur. Hæc ita minutim refero Maiestati Tuæ, vt hinc pro Tuâ sapien-



pientiâ iudices , quantâ hîc sit opus Con-  
 cionatorum copiâ ; & eam , quod est con-  
 sequens , idoneam procurare ne oblivisca-  
 ris ; utique cum , si quæ hîc jam gravis  
 sentitur ejus auxiliij penuria , in posterum  
 quoque perseveret , non modò qui recens  
 ad Nos tram Sanctam Fidem sunt conversi ,  
 non perstituri sint in proposito ; sed ne  
 ipsi quidem Lusitani ultrâ fere plerique  
 quàm nomine tenus , sint futuri Christiâni .  
 Valdè vereor , Domine , ut quem velim ,  
 & opus esset , hæc mea desideria effectum  
 nanciscantur : ægréque adducor , infelici-  
 tatem Indiæ expertus , ad certò confiden-  
 dum , tanti eam boni , quantum illi op-  
 to , futuram compotem : cuius ea est qua-  
 si conditio innata , aut potius maligna in-  
 doles , ut exactam religionem & excellen-  
 tiam officiorum exquisitæ virtutis in pu-  
 blicum morem induci , & passim apud  
 plerosque invalescere minimè ferat . Idi-  
 bus Januarij hujus anni appuli Cocinum  
 Malacâ veniens , vbi Episcopum repere-  
 ram , ex eiusque conspectu , atque usu ma-  
 gnum animi fructum ceperam ; animadver-  
 tens quantâ caritate ingentes corporis la-  
 bores sustineat , obeundo singillatim Ar-



ces intra suam Diocesim fitas , & adeun-  
 dis excolendisq; Christianis S. Thomæ;  
 suo sic plenè officio fungens , prout ve-  
 rum ac bonum , qualem se per ista pro-  
 bat , Pastorem decet . Horum tam lauda-  
 bilium operum merces ei à certis horum  
 Tractuum Hominibus talis omninò per-  
 solvitur , qualem Sanctis rependere Mun-  
 dus consuevit . Multum mihi placuit , &  
 quadam sui reverentiâ perfudit , præsentibus  
 perspecta experimentis Sancta Viri Pa-  
 tientia . Scio mustitari nescio quid per  
 Indiam de illo à Filijs huius sæculi , quos  
 etiam arbitror ad Maiestatem Tuam scriptu-  
 ros sinistram istam ipsam suspensionem ,  
 quâ eum temerè aspergunt , occasione mor-  
 tis Michaëlis Vazij . quâ in re , hoc ei  
 verissimum & syncerissimum debere me  
 testimonium sentio , & , ut gravi me  
 exonerem officio , reddo : affirmans certò  
 scire me (quamvis quâ viâ quove modo id  
 didicerim , dicere aut scribere non possim)  
 compertissimum , inquam , mihi esse , ni-  
 hilò magis eum de isto eventu culpari iu-  
 re posse , quam me ipsum , qui longissi-  
 mè illinc apud Molucas aberam quando  
 istud contigit . Oro atque obsecro Maie-  
 statem



statem Tuam , pro eo quantum & Deum  
 amas , & Deo gratificari studes , & tuam  
 ipse Conscientiam ab omni contagione la-  
 bis servare puram cupis ; ne quidquam  
 circa hæc agas aut decernas unde isti Vi-  
 ro bono ægrè sit . Sanè si Maiestas Tua  
 Fidem adhibere videretur falsissimæ isti ca-  
 lumniam , inde adderetur autoritas , & au-  
 geretur confidentia Obtrectatoribus qui  
 sunt in Indiâ . Quod Maiestas Tua Pe-  
 trum Gonzalvium Proëpiscopum Cocinen-  
 sem inter Sacelli Regij Præfectos adscivit ;  
 quodque Fratris ejus Filium Aulae Palati-  
 nae honorarijs Ephebis accensuit , ut ad  
 meum quoque beneficium pertinere putem ,  
 ingentia Viri huius in Societatem Nostram  
 merita faciunt . Me itaque ac Nostros om-  
 nes eo peculiari nomine Maiestati Tuæ ob-  
 strictos profiteor . quod minus miraberis ,  
 Domine , si scias Domum Cocinensis Proë-  
 piscopi Diversorium esse Societatis I B S V .  
 Nec vulgaris hospitij aut usitatae amicitiae  
 finibus benignitas in nos ejus coërcetur :  
 eò usque liberalitate prodeunte , ut post-  
 quam in nostros usus cuncta expendit ,  
 quæ ad manum sunt , mutua corroget ab  
 alijs quæ superimpendat . Oro Maiestatem



246 S.FRANCISCI XAVERII

Tuam nomine Societatis universæ, ut tam  
 ei quam ejus Fratris Filio iubeas isthic ex-  
 pediri necessarias Literas, ut hîc statæ ip-  
 sis Pensiones cum fide præbeantur. Uter-  
 que istâ gratiâ dignus est: Proëpiscopus  
 quidem, quia invigilat Saluti æternæ fide-  
 lium Subditorum Maiestatis Tuæ; Fratris  
 ejus Filius, quia militarem operam Patriæ  
 ac Reipublicæ tuis auspicijs navat. Desino  
 in hoc voto: Det utinam Deus Dominus  
 Noster Maiestati Tuæ; ut penitens in animo  
 tuo sentias, ac simul factis exequaris, quid-  
 quid ipso in momento mortis tuæ gauderes  
 à te factum. Cocino XIII. Kal. Februarias  
 AN. MDCLVIII.

Tuæ Maiestatis Servus inutilis.

*Franciscus.*

EPISTOLA III.

*Patribus Societatis IESV Oram Travan-  
 coris excolentibus.*

**I**llud ante omnia commendatum vobis  
 cupio, ut singulari diligentia invigile-



giletis in Baptismum Parvulorum; ne quam prolem recens natam non continuo regeneratam Christi lavacro, in ullo ex his quæ præsentibus lustrabitis, aut quoquomodo procurabitis, pago, vel mapali relinquatis. Istud equidem existimo præcipuum & maximè salutare Ministerium omnium eorum, quæ per vos istis in locis exerceri queunt. quare neutiquam vos velim id demandare alteri, aut in hoc cuiquam fidere. Explore vos ipsi & quærite: inventosque qui egeant primo illo summè necessario Sacramento, vestrà ipsi manu tingite. Scio datum negotium Accensis Regijs qui præfecturam in eâ gente aliquam exercent: commendatum item impensè Patribus Familiis, ut simul Domum sibi auctam novo conjugum partu viderint, ultrò indicent, & Baptismi Ministros accersant. In dormire tamen illi fiduciæ non expedit. Et Accensi alias res agent; & Patres obliviscuntur. Parvuli interim inexpiati moriuntur. Ite igitur vos ipsi, indagate, investigate, percontantes ostiatim ecqua Mulier, ex quo illac transistis, enixa foetum sit. ecquod quomodocumque ibi reperiatur nondum ablutum aquâ lustrali caput. Vix unquam



id frustra quæsieritis. proferent infantulos; vos sine morâ Christo initiate: & in tuto locate salutem animæ, absque istâ sedulitate graviter periclitantis de jacturâ faciendâ Felicitatis sempiternæ. Credite mihi experto. Totum ex nobis inter Gentem istam alicujus momenti operæpretium ad duo demùm officia redigitur; baptizandorum Infantium, & Puerorum utcumque Disciplinæ capacium, erudiendorum. Quare hoc alterum pari aut majori sollicitudine accurandum vobis injungo, ut efficacissimè procuretis sine intermissione doceri Pueros. Procuretis, inquam, id fieri per alios, nam vos, quos non expedit ullo in singulari Pago statum ac fixum Domicilium habere, sed semper expeditos obire loca cuncta, & invigilare lustrando curfandoque per regionem totam, profectibus istius Ecclesiæ, tali providentiâ egentis; manifestum est non posse Scholis ubique quotidie habendis assiduitate necessariâ vacare. Præficite igitur in omni vico aut mapali Magistros idoneos ac Canacapulas, prout statutum est, qui & literas & elementa religionis, precationesque memoriæ; mandandas, certâ quot diebus horâ locoque  
 adef-



adesse simul iussis tradant atque inculcent  
 Pueris . quò id fiat exactius , ubi Pagum  
 quemque circum omnes cursando lustrabi-  
 tis , nunquam omitteretis congregare omnes  
 Parvulos , ex iisque coràm Ludimagistris ra-  
 tionem eorum quæ didicerunt reposcere ,  
 sicque cùm ipsorum , tum Magistrorum di-  
 ligentiæ specimen capere , sedulò annotan-  
 do quantum quisque sacrarum orationum  
 inoffensè recitaverit , quem usque ad lo-  
 cum Catecheticae Doctrinae audiendo & men-  
 te amplectendo pervenerit : denunciante  
 vos eodem brevi redituros , posteriores re-  
 bus jam comprehensis profectis , proportio-  
 ne interjecti dimensuros spatij , & ex iis  
 aestimatos , quis strenuè contenderit , quis  
 cessaverit . Eâ expectatione Magistrorum  
 pariter & Discipulorum acuetur industria .  
 Curabitur ut diebus Dominicis Viri omnes  
 simul congregentur in templo , ad recitan-  
 das orationes : & peculiariter inquire , an  
 istos coetus Patangatini frequentent . In  
 locis in quibus fortè tali die reperiemini ,  
 præeritis ipsi vos istis conventibus ; & post-  
 quam orationes cuncti ex memoriâ red-  
 derint , brevi & facili explicatione , quæ illi  
 pronunciaverint , declarabitis ; tum repre-  
 hende .



hendetis vitia illic dominantia, demon-  
 strandâ claris exemplis & similitudinibus  
 ad rudium captum accommodatis, foeditate  
 & pernicie illorum: accumulandis deinde  
 ad terrorem eorum qui emendationem di-  
 stulerint, comminationibus iræ ac vindictæ  
 cœlestis, non feræ tantum, & post hanc  
 demum vitam saluturæ; sed instantis &  
 tantum non præsentis, morborum, pe-  
 stium, præcocium funerum, infestationis  
 à Regibus Barbaris, qui eos spoliabunt,  
 mancipabunt, diris exemplis torquebunt;  
 per quæ mala in supplicia sempiterna Tar-  
 tari peccatores indurati perventuri sint.  
 Per singula loca inquiretis, ecquid simulta-  
 tes & odia inter aliquos illic degentium  
 sint: ac dabitur diligenter operam, ut ij  
 non solum invicem concilientur, deposito  
 ex animis rancore; sed hoc ipsum etiam  
 palàm profiteantur, ad satisfaciendum of-  
 fensionis publicæ. quare Viri quorum fue-  
 rat nota dissensio, in conventu Virorum  
 (qui ut dixi quavis Dominicâ celebrabitur)  
 & Mulieres in cœtu Fœminarum diebus  
 Sabbati cogendo, in præsentia universorum,  
 vobis agentibus, testentur: se injuriarum  
 illatarum poenitere, veniam poscere, ac-  
 cepta-



ceptarum oblivisci deinceps velle, ac prius infensis exosive Christianæ ac Fraternalis Caritatis officia cuncta exhibere, constanter decrevisse. Cum primùm declarationis Articulorum Fidei in linguam Malabaricam Translatio, quam commisi accurandam P. Francisco Coëllio, perfecta fuerit; sedulo procurabitur, ut multa ejus exempla pro Pagorum aut Vicorum numero descripta, & per locos sparsa singulos, illic in statos congregatis cœtus, Viris quidem Dominicâ, Mulieribus autem Sabbato, à vocali & cunctis intelligibili Anagnoste perlegatur. ubicumque autem vestrum aliquis hisce diebus fuerint, peractæ lectioni vivam vocem adjungat; exponendo dilucidius & distinctius, quæ minùs clarè à tardioribus percepta videri poterunt. Eleemosynas, oblationes, à Reis votorum post periculâ vitata morborum, aut infestorum casuum, in istis, ex more, cœtibus Virorum aut Mulierum collatione solitas congeri, curabitur universas egenis distribui: neque ullam vel minimam particulam illarum in vestros usus absumendam admittetis. Singulis Dominicis in cœtu virorum, & singulis Sabbatis in conventu fœminarum clarè promulga-



mulgari curatoſe , ut cum primùm in  
 Domibus eorum quiſpiam cujuſque ſortis  
 in morbum inciderit , moneant vos confeſſim , ut ſuccurrere maturè , ac quæ tali  
 tempore procurandis animabus ſunt necesſaria , adminiſtrare valeatis . denunciato  
 autem omninò fore , ut ſi quiſquam huic  
 officio defuerit , ſicque Propinquus ejus  
 aut domeſticus ſine Sacramentorum com-  
 meatu ultimo deceſſerit , haudquaquam  
 permittatis talem mortuum in Eccleſiæ Cœ-  
 meterio ritu ſacro ſepeliri . Quando vos in-  
 firmos inviſetis , recitati ab ijs , ſi poſ-  
 ſunt , aut ab aliquo præſentium , linguâ ip-  
 ſorum , ſacrum Symbolum jubebitis , inter-  
 rogando Ægrum ad ſingulos Articulos , ec-  
 quid quæ audit credat certiffimè ac con-  
 ſtantiffimè ? ſub hæc pronunciari ab ipſo  
 curabitis formulam Confefſionis Generalis  
 & orationes , teneri mente à cunctis ſolitas :  
 poſt quas vos ſacrum Evangelium ſupra il-  
 los pronunciabitis . Quando aliquis obie-  
 rit , prodibitis è Sacrà Æde procedendo ad  
 locum ubi jacet mortuus , Cruce præeun-  
 te , Pueris comitantibus , & per viam  
 eundo ac redeundo cantantibus orationes  
 quas in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ di-  
 dice-



dicerunt. delato in templum defuncto, recitabitis sacras preces quas Ecclesia tali tempore præscribit, easque more solito iterabitis antequam corpus terræ mandetis. semper autem ad congregatam in exequias turbam aliquid appositæ ad rem Conciunculæ habebitis, admonentes de necessitate moriendi & incerto vitæ: quàmque, id reputantes conveniat emendatè vivere, nec differre Pœnitentiam delictorum; in quorum conscientia, si mors eos præoccupet, æternam damnationem vitare nequeant: uti è contrario perseverantes in Dei Gratiâ, meritò sperent, se in Paradisi gaudia morte transituros. Præcipietis Dominicâ, Viris; Sabbato, Mulieribus, ut infantes ægros deferant in Sacram Ædem ad vos super ipsis Evangelium recituros. Id valebit ad excitandam & corroborandam Fidem Patrum pariter ac Matrum, & utrorumque amorem in Ecclesiam resque sacras conciliandum. Postremò sic Parvulorum quoque ipsorum vitæ ac valetudini consuletur. Circa lites & controversias jurium inter Christianos suborientes, primum id agetis quàm suavissimè & efficacissimè licebit, ut ambæ Partes, tractantes

tes



res invicem , eas ex æquo & bono per se componant . Ad hoc si qui adduci nequierint , & non magni momenti res fuerit , Dominicis diebus post recitatas orationes dabitur negotium Patangatinis Ædilibus locorum , ut litigantibus utrimque auditis , causas finiant . Vos verò ipsos quàm minimè & quàm rarissimè implicari patiemi ni cognitionibus istiusmodi , quæ vobis & otium & auctoritatem minuerent necessariam functioni spiritalium ministeriorum Vocationis Nostræ propriorum . quare quamlibet instant deferendo arbitrium , audiri que postulantes , qui contendunt invicem , excusate occupationes graviores , & cognoscendi moram iudicijque invidiam prudenter declinate , remittendis ad Præfectum Lusitanum illorum Tractuum controversijs majoribus : aut , si quorum interest , magnoperè mavelint uti Arbitro Sacerdote , ijs ad P. Antonium Criminalem allegandis . Omni ope adnitimini , ut vobis istius Gentis amorem concilietis . Longè plus enim eritis idonei juvandis ijs , si ab illis diligamini , quàm si vos timeant . nemini pœnam decernetis aut inferetis priùs quàm de re totâ P. Antonium Criminalem

con-



consulueritis : ac ne hoc quidem assentien-  
 te , quemquam comprehendi , aut pro  
 merito mulctari jubebitis in loco ubi præ-  
 fectus Lusitanus præfens adsit , nisi eo ad-  
 monito , & rationibus expositis in vestram  
 sententiam pertracto . Supplicium legiti-  
 mè sumendum de Viro aut Muliere qui  
 Pagodis Idolum sculpsisse convicti fuerint ,  
 esto exilium è loco ubi peccarunt , & re-  
 legatio in alium . nunquam tamen eo no-  
 mine quemquam exterminetis , nisi P. Cri-  
 minale in id assentiente<sup>r</sup> . Pueris assiduè  
 frequentantibus Scholas Catecheticas , ubi  
 meruerint castigandis , quantum potest sal-  
 vâ Disciplinâ temperetur . præstat enim  
 dissimulare interdum , quod peccasse ipsos ,  
 ut illa fert ætas , cognoveritis , quàm seve-  
 ritate utcumque justâ , concitare teneros ani-  
 mos in vestri odium , qui ubi à suæ salu-  
 ti consulentibus abhorruerint , in abrupta  
 pessum rapiuntur . Ferèque ab istiusmodi  
 faciliùs , ut frugi sint , impetraveris multâ  
 significatione amoris , quàm vi sævâ extor-  
 seris . Cavete diligenter ne unquam Chri-  
 stianos Indigenas coràm Lusitanis vitupe-  
 retis . quin potiùs eos semper defendite ,  
 & ubi accusantur sollicito patrocínio tue-  
 mini ,

mini,



mini , excufantes ac commendantes quantum poteritis . rogando Lufitanos , ut benignè confiderent , quàm prava miseris iftis nuper ex Idololatriâ converfis ad Chriftum , à pueritiâ educatio contigerit : quàm parùm ijsdem exiguo tempore ex quo Fidem funt amplexi , per tot cafus abfentiæ Sacerdotum , incurfionum & terrorum à Badegis , vacaverit ferio animum intendere Christianæ institutioni , quantum erat opus , percipiendæ . quæ fi fapienter reputaverint , non modo clementer ignofcere debeant defectibus Barbariei tam incultæ ; fed jure mirari poffint , non effe illos aliquantò etiam peiores , quàm ex culpis in quas incidunt , plerumque non graviffimis , appareant . Sacerdotibus Malabaribus favebitis . & benignè confuletis , in rebus præfertim ad Religionem fpectantibus , efficiendo , ut affuefcant proprias animas confeflionibus purgare , ut Miſſæ Sacrificium ritè ac crebrò Deo offerant , ut exemplo vitæ fanctæ præluceant populo . querelarum porrò veſtrarum de ijs , aut reprehentionum , fi quid offenderint , ne ullum , in literis præfertim ſcriptis à vobis ad quemlibet , veſtigium extet quod poſſit offendi , cavete .







omniñò vobis tanti sit , quod pro ejus of-  
 fensione vitandâ retinendave gratiâ , un-  
 quam pacisci recusetis . Iam vestri cum  
 Lusitanis sermones de Divinis semper ani-  
 mæque salutem ac profectum attinentibus  
 rebus sunt . differite apud illos , privatis  
 quoque congressibus , de Morte , de Iudi-  
 cio , de supplicijs Infèrni & Purgatorij,  
 suadendo ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ fre-  
 quentent Sacramenta , ut Divinæ Legis de-  
 cem præcepta custodiant ; & quæ sunt ejus  
 generis . nam si cum ijs agendo ad alia  
 nunquam confabulationum argumenta desse-  
 xeritis , alterum duorum eveniet , ut aut  
 illi vos adeuntes , eandem ultrò colloca-  
 tionum materiam usurpent , magno suo bo-  
 no scilicet : aut si eos ejus tristitiæ tæ-  
 dium capiat , convenire vos desinant , &  
 bonas horas , vestri multiplicis officij ur-  
 gentibus occupationibus necessarias , vobis  
 liberas relinquunt . Mementote in occasio-  
 nibus Goam scribere ad Patres Fratresque  
 Nostræ Societatis , referentes quæ consolari  
 eos & animare ad benè agendum queant ,  
 de fructu ministeriorum vestrorum , & suc-  
 cessu conatum ad Dei Gloriam . dabitis  
 etiam eodem argumento literas ad Domi-  
 num



num Episcopum , cum omni demissione ac  
 reverentiâ , tanquam ad Prælatum , cujus  
 auctoritati ac jurisdictioni Tractûs isti omnes  
 subjacent . Ad nullam Regionem aut Pro-  
 vinciam ibitis , quantumvis vos advocent  
 Reges ac Principes earum , nisi cum assen-  
 su P. Antonij Criminalis , & Præfecti Lu-  
 sitani Oræ istius , & si qui acrius invitando  
 urserint , ijs obtendite obedientiam quam  
 profitemini , excusantes ; per eam haud li-  
 cere , injussu eorum qui vobis præfunt ,  
 de statione præscriptâ decedere . Iterum  
 inculco vobis etiam atque etiam commen-  
 dans , ubicumque cum quibuscumque ver-  
 sabimini , contendite vos gratos & amabi-  
 les omni hominum generi præbere ; de  
 cunctis benè merendo , inserviando singu-  
 lis , nullum non blandè modestèque com-  
 pellando . Hæc enim benignitas factorum ,  
 verborum humanitate condita , conciliando  
 vobis omnium amore , aditum cordium  
 aperiet , magnamque præbebit facultatem  
 luculentos congerendi fructûs animarum .  
 concedat id vobis Deus , & cum omnibus  
 vobis sit semper . Amen . Februarii Anni  
 CIOIOXLVIII .

Totus Vester .

Franciscus .

R 2

EPI-



## EPISTOLA IV.

*P. Gaspari Barzæo Societatis IESV  
Armuziam proficiscenti.*

**A**Nte omnia tui memento, Deo primùm, tuæ deinde conscientiaë satisfaciens. His enim rectè fungenti officijs duobus, prona facultas affluet ingentium è Proximorum animis eliciendorum profectuum. In ministeria humilia fac te semper quoddam studio exaggeratum quasi pondus, inclinet. His enim te exercens, parabis, augebisque demissionem animi, quare nemini committas, sed per te obeas censeo, minimè speciosam occupationem inculcandi memoria Rudium orationes quas tenerementè Christiani omnes debent. Has verbatim ediscentibus patienter præi filijs & filiabus Lutitanorum, tum eorundem servis ancillisque, postremò Indigenarum liberis. Id qui te agere sedulò viderint, omni profectò arrogantiaë suspicione absolvent, tantòque, ut est pellax ad aestimationem opinio modestiaë, te digniorem judicabunt cui se docendos quæ ignorant de Christiana

naë



nã Religionis mysterijs præbeant . Paupes  
 res in Prochotrophijs & Nosocomijs crebrò  
 invises , & subinde adhortaberis ad ratio-  
 nes cum suã cujusque conscientia ponen-  
 das ; excitando ipsos ad confessionem &  
 perceptionem Eucharistiã , quarum illa  
 peccata delet præterita , hæc præservet à  
 futuris : ambæ veras causas amoveant mise-  
 riarum , sub quibus nunc gemunt , quas  
 in posterum metuunt . cum quæ patiuntur  
 mala , nihil nisi poenæ culparum sint . qua-  
 re illis purgare animas , peccata fatendo , vo-  
 lentibus , aures , quantum vacaverit , com-  
 moda . His procuratis quæ ad animum  
 pertinent , in ijs quæ corpus spectant ;  
 prout poteris , Miseris consules : commen-  
 dando eos curatoribus Domuum illarum ;  
 vel ab alijs qui juvare ipsos queant , quæ  
 opus habent corrogando . Carcere deten-  
 tos adibis etiam , & conciones ad eos ha-  
 bebis , magnoperè adhortans ad vitam uni-  
 versam præteritam sacrã confessione recen-  
 sendam . Istã huic generi hominum magis  
 opus admonitione est ; idcirco quod mul-  
 ti vel plerique ipsorum , nullam ex quo  
 sunt nati exactam peccatorum confessionem  
 obierunt . Sub hæc Sodales Misericordiæ



rogabis ut curam Infelicitum illorum gerant ;  
 agendo cum Iudicibus ut juris ipsorum ha-  
 beant rationem, & ijs quibus deest unde alantur,  
 victum necessarium donando. Sodalitati Mife-  
 ricordiaē in se vies quantum poteris, ejusque te  
 studiosum in primis feres, promovendo, com-  
 mendando, eique adjuvandaē operam in omni-  
 bus promptissimam strenuè navando. Si quo-  
 rum in isto Emporio pecuniosorum hominum  
 confessionibus auditis perspexeris, gravari eos  
 conscientiaē malè partorum, quæ restituere om-  
 ninò & debeant, & velint : nec tamen id face-  
 re passis injuriam possint, quòd ij vel obierint,  
 vel qui sint aut ubi, nesciatur ; eam pecuniam  
 ultrò licet tibi obtrusam, integram trans-  
 fer ad Sodalitatem Misericordiaē ; quan-  
 tumvis menti occurrant tibi noti pauperes  
 in quibus optimè collocanda eleemosyna  
 videretur. Sic defungèris periculo erran-  
 di ab insidiosis artibus vafre simulantium,  
 & egestatem & innocentiam, fraude ac  
 scelere plenissimorum hominum, qui non  
 tam facilè obrepent Sodalibus Misericor-  
 diaē, ad quos tutius honestiusque à te  
 avertes inquisitionem invidiosam & perple-  
 xam. sicque ad veros Pauperes eleemosy-  
 naē pervenient, impostorum avarorum quæ-  
 stuo-



stuosis mendacijs elusis . sic etiam tu so-  
 lutior & expeditior vacabis ministerio tui  
 statûs proprio , iuvandarum animarum ; cui  
 non parvam necessarij otij partem spissa  
 isthæc & multiplex pecuniæ distribuendæ  
 cura subtraheret . denique sic querelis &  
 suspicionibus ibis obviam hominum , pro  
 communi pravitate , malè de te opinari pa-  
 ratorum , quasi simulatione consulendi alijs,  
 rem astutè tuam agas , & nummorum quos  
 erogandos acceperis , partem tibi recondas ,  
 necessitatibus inopum improbo furto de-  
 fraudandis . Ad eos quibuscum religiosam  
 aut civilem , domesticam aut forensam usûs  
 ac sermonis consuetudinem vario vitæ com-  
 mercio usurpaveris , sive ij mediocrem ,  
 sive summam tecum familiaritatem affecta-  
 verint , sic te semper adhibe , quasi exi-  
 stimares : aliquando eos ex tibi amicis ini-  
 micos evasuros . ita non committes , ut  
 conscios illos habeas ullius facti dictive ,  
 quod si unquam , iræ indulgentes , protule-  
 rint , vel erubescere traductione tui , vel  
 incommodo aut damno negotiorum te do-  
 lere sit necesse . exigit hanc à te irremis-  
 sè custodiæ vigiliam pravitas hujus sæculi  
 nequam , cujus filij filios lucis suspicacibus



semper oculis observant . debes eandem  
 tuo ipsius in spiritu profectui , haud par-  
 vis incrementis processuro , si totam ad quid-  
 vis agis aut loqueris , prudentiæ moderatri-  
 cis attentionem adverteris . Præmunies sic  
 etiam adversus periculum mutationis , leves  
 Amicorum animos ; & in quocumque even-  
 tu defensores apud eos tibi parabis , me-  
 moriam observatæ in Te rectitudinis , &  
 natam ex eâ verecundiam tui , quâ ubi à  
 te desciverint , confundi eos sit necesse .  
 Simul ista reputatio instabilitatis hominum  
 efficiet , ut Deum intuearis , ut te intimè  
 despicias , ut ubique præsentì Numini de-  
 missione infimâ , suavitate magnâ , semper  
 adhæreas ; qualium intermissione officiorum  
 multa nobis obrepunt , spectantium oculos  
 lædentia , & illorum à nobis sensim aba-  
 lienantia voluntates . Istius curæ partem  
 explebit Examen , quod particulare dici-  
 mus , quod ne bis , aut semel saltem , quot  
 diebus , ritu nobis solito , usurpes , cave ullâ  
 unquam quantavis impediât occupatio . An-  
 te omnia primam ac potiozem curam tuæ  
 mundandæ , atque innoxia præstandæ con-  
 scientiæ impende : alienarum præservanda-  
 rum aut sanandarum posterior tibi esto di-  
 ligen-



ligentia . nam qui sibi malè consulit , quo-  
 modo prodesse alijs poterit ? Concionare  
 ad populum omninò quàm poteris frequen-  
 tissimè , latissimè quippe se porrigit hujus  
 utilitas ministerij , nec uberior ex alio  
 quovis ad Dei obsequium profectumve Ani-  
 marum fructus expectandus . In concioni-  
 bus cave unquam proponas argumenta du-  
 bia , contrarijs perplexa sententijs Docto-  
 rum . Certa & perspicua seligi oportet quæ  
 populo tradantur ; ad morum informatio-  
 nem & reprehensionem vitiorum ferè per-  
 tinentia . demonstratur peccati foeditas ,  
 exaggeretur atrocitas læsæ ab homine cul-  
 pam consciscente supremæ Dei Majestatis ,  
 incutiatur horror fulminandæ in convictos  
 reos judicio supremo extremæ damnationis ,  
 graphicè depingantur acerbissima tormenta  
 æternum infligenda detrusis in Tartarum .  
 Mortis denique , præsertim inopinatæ ac  
 subitæ , metus intentetur , maximè incu-  
 riosis obsequii Divini , & conscientia gravif-  
 simorum criminum indormire supinâ negli-  
 gentiâ nihil pensi habentibus . Inferenda  
 his opportunè commemoratio Christi Cru-  
 cis , vulnerum , ac mortis , quibus nostra  
 peccata dignatus est luere . Sed hoc facien-  
 dum



dum oratione affectibus quàm maximis incensâ , per figuras & colloquia ad môtus animorum ciendos accomodata , quibus dolor intimus de peccatis , ob Deum per ealæsium , excitetur , usque ad lacrymas ex oculis audientium expressas , sequentibus hinc propositis eluendæ quantocyus per confessionem conscientiæ , reconciliationisque cum Deo per Eucharistiæ perceptionem , ritè celebrandæ . Hanc veram & unicam , quàm intuens effingas , propositam tibi velim Ideam fructuosarum concionum . Cave-sis unquam personam personasve insignes dignitate , præsertim gerentes magistratum , nominatim pro concione objurges aut perstringas . Si quid in ijs displicuerit quod significandum putes , privatim conventis indica , vel ultrò ad confessionem accedentibus in arcano Tribunali Pœnitentiæ ad aurem infusurra . Ab ijs palàm traducendis omninò abstine . nam hoc genus hominum anceps & irritabile , incomitiationibus istiusmodi adeò non solet corrigi , ut harum aculeo , velut oestro Tauri , efferari consueverit , ruereque perniciosiùs in præceps . Ac ne privatas quidem admonitiones talium temerè attentas . usus tibi primum



## NOVARVM EPIST. Lib. 4. 267

mum aliquis & prævia familiaritas, cum ijs contracta quos emendare vis, aditum ad illas muniat. deinde increpationis quasi tonum intendi aut remitti expedit, pro gratiæ apud Amicum quem arguis tuæ auctoritatique mensurâ; ut liberius & distri-ctius tibi magis obnoxium, parcius & timidius minus familiarem arguas. Semper autem censuræ supercilium, frontis serenitate, arrisu oris, blanditiâ obtutum mitigas: multò autem magis humanitatè verborum, & declaratione amoris, qui te unus ad molestum, sed necessarium, eximendæ ab Amico deformantis illum labis conatum impellat. Inferendi quinetiam colloquio amplexus, demissæ venerationes, cæteraque benevolentia sincera, reverentia non fucata, signa idonea; quorum, velut mellis aut sesami, admixtione amarities condiantur nauseosi per sese remedij; &, si merum respuentibus obtrudatur, insalubris evasuri. nam si ad odium tristi negotio innatum asperitatem vocis, austeritatem vultus, frontis ac rigidi aspectus minas adjunxeris; vereor equidem ut stomacho imperent delicari fastidij & tenerarum homines aurium; quos potentia subnixos, as-  
sue-



suetosque adulationibus, verisimile potius  
 est, excussuros frænum omne moderationis,  
 & Censorem importunum convicio repulsuros.  
 In istis partibus, ubi peccandi magna licen-  
 tia, pœnitendi rarissimus est usus, Sacra  
 confessionis cum à te suadendæ, tum ab alijs  
 exercendæ, hanc arbitror rationem opti-  
 mam. quem velle videris onus ex longo  
 exaggeratum pręgravatæ conscientiæ, in-  
 tuis auribus deponere; eum fac adhorteris  
 primùm, ut biduo triduove in id sumpto, se  
 totum excutiat, inde usque ab ultimâ Pue-  
 ritie recordatione, per omnes ætatum &  
 occupationum gradus, relegens vestigia vi-  
 tæ decursæ, & cuncta perperam acta, di-  
 cta, cogitata in summam contrahens, ac, si  
 opus est ad memoriæ subsidium, scripto sub-  
 legens. sic paratum postquam audieris, ple-  
 rumque juverit non continuo absolvere,  
 sed agere cum illo, ut boni consulat, per  
 duos tresve dies abducere a curis familia-  
 ribus animum, & idoneis ad dolorem pec-  
 catorum ex amore Dei offensi ciendum  
 commentationibus, comparare se ad fructum  
 uberiores e sacramentali absolutione per-  
 cipiendam. Eo triduo Pœnitentem exer-  
 cebis aliquot meditationibus primæ Mensis  
 asce-



ascetici Hebdomadæ, quarum illi capita edifferes, modum commentandi & orandi trades; suadebis etiam, ut poenâ quapiam ultrò susceptâ, puta jejunijs aut flagellatione, se ipsum ad veram detestationem criminum intimè concipiendam, & per lacrymas etiam prodendam, juvet. Præterea hoc spatio curabis, ut si quam injustè isti detinent alienam rem, Dominis restituant: si famam cujuscumque læserunt, dictum revocent: si amoribus inconcessis implicati vixerant, flagitiosa cum quibusvis commercia abrumpant, occasionesque jam nunc amoveant culparum. Talia in posterum quantumvis prolixè ac seriò pollicentibus, haud tutò creditur sine pignore. Fac representent in antecessum quod se præstituros asseverant, nullum est tempus aptius his officijs, quàm necessarijs tam difficultibus; ubi ardor commoti animi refrixerit, & illecebræ familiares male-suadâ dulcedine dudum assuetos in tantisper omnia retrahere flagitia caperint, frustra reposcas promissorum fidem. Ergò antequam illos salutare sententiâ culpis solutos omnibus dimittas, hæc ut prævertant, omninò exige. Aliàs quæ humana fragilitas est, bre-



vi relapsos in præcipitium , à cujus lubricâ declivitate non satis eos longè submove-  
 ras , inutiliter dolebis . In causis Sacri  
 Pœnitentiæ Fori cognoscendis , cave præpro-  
 perâ severitate deterreas qui detegere sua  
 vulnera cæperunt . quantumvis atrociam me-  
 morent , non modò patienter , sed clemen-  
 ter etiam ausculta ; quin pudorem ægrè  
 fatentium subleva , ultrò commiserans , nec  
 mirari præ te ferens , ut qui graviora his  
 foedioraque cognoveris . ac ne despondeant  
 veniam , Immensæ Dei Misericordiæ divi-  
 tias prædica . Interdum quod magno æstu  
 animi , piaculum confessi sunt , haud esse  
 tam grave quàm putant , suggere : Te ca-  
 pitalioribus etiam noxis , ex Dei Gratiâ , pos-  
 se remedium afferre : pergant fidentes , nec  
 quidquam proferre vereantur . Hâc mater-  
 nâ quadam indulgentiâ velut obstetricari  
 opus est miseris animabus , ærumnosissimo  
 nisu parturientibus spiritum salutis , quoad  
 conscientiæ sentinam exhauerint . Erunt  
 quos ætas aut sexus infirmior acrioribus ve-  
 recundiæ stimulis à declaratione foedissima-  
 rum quibus se inquinaverunt libidinum , repel-  
 let . Hoc ubi senseris , obviam benignè pro-  
 di . memorans nec solos , nec primos eos  
 in



in id cœnum prolapsos ; longè atrociora,  
 in eo genere nosse te , quàm esse ista de-  
 mùm possint quæ fateri vereantur . Partem  
 culpæ magnam , vehementiæ tentationis ,  
 pellaciæ occasionum , innatæ cunctis homi-  
 nibus concupiscentiæ imputa . quin ( ajo  
 tibi ) eò interdum in talium occurſu de-  
 scendendum est , ut quò ista relaxemus no-  
 xij vincula pudoris , linguas infelicium astu  
 mali Dæmonis constringentia , nostras ipsi  
 ultrò generatim vitæ præteritæ labes indi-  
 cemus , ut sic eliciamus necessariam enun-  
 ciationem premendorum à Reis alioqui ,  
 cum irreparabili pernicie , criminum . nam  
 quid vera & ardens Dei Caritas recuset  
 pro salute animarum Christi emptarum san-  
 guine pacisci ? Id tamen quando & quate-  
 nus , quibusve cautionibus administrandum  
 sit , in rerum Articulis præsentium ipsa  
 te unctio spiritûs & experientia docebit .  
 Invenies interdum aliquos ( & utinam ne  
 multi occurrant tales ) qui dubitent de vi  
 & efficaciâ Sacramentorum , ac præsertim  
 de verâ præsentia Christi Corporis in Eu-  
 charistiâ . Id illis accidit ex infrequentia  
 participandi sacra illa mysteria , & assiduâ  
 familiaritate cum Idololâtris , Mahumeta-  
 nis ,



nis, aut Hæreticis, ex minùs rectis exemplis quorundam Christianorum, etiam ex nostro (quod fateri piget & pudet) Sacerdotum Ordine, quorum nonnullos cum videant è nihilò sanctiori quàm vulgus profanum vitâ, temerè ac ludibundè profligare ad aram, suspicantur vanè à nobis prædicari præsentiam in Missæ Sacrificio Divini Christi Numinis, quod utique si adesset, contrectari se impunè à tam impuris haud sineret manibus. Horum curandorum hanc inire uebebis rationem. Primùm comi sermone ac blandis modis insinuans te in ipsorum amicitiam, elicere, familiariter rogando, conaberis intimos animi sensus, & si errores quos dixi deprehenderis, errorum causas, occasiones, principia scrutabere. Sic intelliges ubi applicandum remedium sit; ad quod impigrè te accinges, allegando quæ ex usu, pro re natâ, videbuntur; & magnoperè incumbendo ad clarè demonstrandam Sacri ejus Dogmatis veritatem; nec abistes quoad perviceris, ut fide certâ citrà ullam dubitationem, persuasissimum se habere protestentur: verissimè Christi Domini ac Redemptoris Nostri Corpus ac Sanguinem sub panis & vini ritè

con-



consecrati residere speciebus . Inde videlicet non ægrè attrahentur ad purgandum bonâ fide per confessionem animum, & devotione congruâ sacras Divinæ mensæ frequentius epulas gustandas .

In sacro Tribunali ubi quæ præmeditati pœnitentes de suis peccatis narrant plenè cognoris , ne rem continuò factam arbitrere , aut te defunctum curâ omni . indagare ulterius oportet , & percontando exculpere , quæ cognitu curatuque necessaria , etiam ipsos , præ ignorantia , pœnitentes fallunt . Interroga ergo unde , quæ ratione quæstum faciant ? quam in commutationibus , præstationibus , & totâ fide pactorum , formulam sequantur ? reperies plerumque sordere usuris cuncta , & maximam pecuniæ partem per rapinas congestam ijs ipsis , qui se tamen præfidenter ab omni contagione iniqui lucri asseverabant puros , vero , ut aiebant , conscientia nusquam ipsos reprehendentis testimonio . quippe multis ita occalluit conscientia , ut rapinarum in sinum corrasarum vastis etiam molibus , aut nullo , aut perexiguo urgeantur sensu . Hujus generis diligentia adhibenda major etiam tibi fuerit ,



rit, quoties se sistunt in Sacro Tribunali  
 Ministri Regij, Praefecti, Quaestores, Scri-  
 bae, Redemptores vectigalium, & ad quos  
 quocumque nomine Fiscalis pecuniae ac ju-  
 rium procuratio tractatiove aliqua perti-  
 net. Peraccuratè ab his omnibus exquire  
 quâ ratione ex sui magistratus aut ministe-  
 rij functione proventuque rem augeant? &  
 si dicere cunctentur, arte blandâ indaga,  
 odorare. non longè percontando circum-  
 duxeris, quin vestigijs haud dubijs per-  
 venias ad cubilia ipsa fraudum & Monopo-  
 liorum, quibus emolumenta publica in  
 privatas Domos pauci homines avertunt,  
 praementes regiâ pecuniâ quod statim di-  
 spertiant lucro sibi seposito ingenti, aug-  
 mento immani pretij luendo mox à singu-  
 lis quos suae rationes coegerint ad ejus mer-  
 cis licitationem accedere. Interdum etiam  
 morâ & elusionibus cruciant eos quibus à  
 Fisco debetur: ut sic eos cogant ad secum  
 decidendum, remissâ pensionis parte; quam  
 illi sibi, fructum industriæ, ut vocant,  
 hoc est, rapinae improbissimæ prædam ha-  
 beant. His & horum similibus ex ore ip-  
 sorum variè ac cautè rogitando expressis,  
 longè scilicet statues certius quantum alie-  
 nae



nã rei detineant apud se , quantumque ,  
 ut cum Deo in gratiam redeant , refunde-  
 re defraudatis à se necesse ipsos fit ; quàm  
 si quæras ex ijs : eccui se meminerint inju-  
 riam fecisse . negabunt enim statim . quo-  
 niam usus istis pro lege est , & quæ fieri  
 vident , rectè fieri non dubitant . nempe  
 mali jam mores , quandam quasi præscri-  
 ptionis autoritatem à consuetudine sibi tra-  
 here videntur . quod tu jus neutiquam  
 admittes : sed serio convictis denunciabis ,  
 si mederi animorum vulneribus velint , pla-  
 nè ipsis abistendum possessione injustâ re-  
 rum malâ fide acquiratarum . Simul quæ-  
 nam illæ sint , haustâ ex confessione ipso-  
 rum peritiâ , monstrabis . Fac majorem  
 in modum te obedientem atque ad omnia  
 morigerum Proëpiscopo præbeas . Simul  
 Armuziam perveneris adibis illum , & po-  
 sitis humi genibus , ei supplex osculaberis  
 manum . non nisi eo volente concionabe-  
 ris , confessiones audies , Doctrinæ Chri-  
 stianæ declarabis elementa , & cætera Insti-  
 tuti nostri ministeria obibis . nunquam  
 quacumque ex causâ cum eo contendes ,  
 aut ab illo dissidebis . quin dabis operam  
 omni sedulitate obsequij , ut cum tibi de-



vincias amicitia, cujus illicio persuaderi sibi sinat usum commentationum Asceticarum, te tradente, capeffendum: fin minus univrsarum, earum certè quæ ad primam Hebdomadem pertinent. omnes item alios Sacerdotes cunctis veræ benevolentia officijs impensè ambies; vitabisque cane pejus & angue qualemcumque cum, ullo ipsorum occasionem dissensionis ac conflictus; summâ potiùs veneratione univrsos & exquisitâ significatione honoris colens. quò scilicet amorem tibi vicissim concilies eorum, ex quo spontè nascatur, ut illi à culturâ suarum animarum tibi permittendâ non abhorreant, nec aspernentur invitationem ad Exercitationes Asceticas, si non plenè per mensem integrum nostro ritu obeundas; saltem secessu dierum aliquot in suis ipsorum adibus degustandas, te illos quotidie visente, & argumenta meditandi explicante, ex ijs quæ in primam digesta Hebdomadam sunt. Præfecto majorem item in modum te obsequiosum & subjectum exhibeto, humillimis ante ipsum demissionibus fidem intimæ reverentiæ faciens. Cave autem quocumque obtentu simultatem cum eo suscipias; neque



que si clarè videas illum , in rebus etiam gravissimis , delinquere . Tunc verò , duntaxat postquam senseris tuis tibi erga ipsum obsequijs non vulgarem ejus gratiam paratam , convenire hominem privatim aude ; atque idonea præfatus de tuo in eum amore , salutisque ipsius & honoris zelo , cum summâ modestiâ , vultu sereno significabis acrem quo intimè ureris dolorem , dum ejus animæ periculum , & bonæ famæ jacturam , ex factis his & illis parùm in vulgus probatis increbrescentem intelligis . Hic commemorabis qui de ipso sint hominum sermones , quos etiam in scripta transituros , & longè quò nollet mittendos verisimile videatur , nisi maturè prævertat offensionem publicæ satisfacere . Hoc tamen ipsum ne officium suscipias , priusquam satis certis indicijs congoveris , sic eum esse affectum , ut boni consulturus admonitionem , & ex eâ profecturus non temerè putetur . multò autem minùs facile annuas precibus plurimorum , perferri te internuntio suas ad Præfectum querimonias poscentium . Recusabis id ministerium quàm poteris constantissimè , excusans occupationem assiduam concionandi , docendi ,



confessiones audiendi , tum ad hæc studio  
 & commentatione te parandi : quæ res  
 spatij nihil relinquunt ad operosum , lon-  
 gumque negotium terendi summatum limi-  
 nis , & otiosâ in aulis patientiâ , diffici-  
 lium admissionum rara momenta præstolan-  
 di . Adde , neque si vacaret , & copia  
 ultrò daretur audientiæ , fatis scire te quan-  
 tum proficeret admonitio . nam si talis sit  
 Præfectus qualem ipsi accusantes memorant ,  
 frustra speretur hunc , qui nec Dei respectu ,  
 nec officij curâ ? ut ipsi ajunt , tangatur  
 ullâ , tui recta suggerentis rationem habi-  
 turum . Conversioni Gentilium ad Christi  
 Religionem totum tempus quod tibi à quo-  
 tidianis necessarijs officijs erit reliquum  
 impende . Vide autem in delectu ministe-  
 riorum , ut semper ea prævertenda ducas  
 cæteris , quorum manifestè latius patet uti-  
 litas . Hæc te regula docebit , nunquam  
 præferendam concioni publicæ auditionem  
 confessionis , nunquam intermittendam sta-  
 tâ quot diebus horâ Scholam Catecheti-  
 cam , ut aliquem unum privatim adhorter-  
 re ; aut simili vaces officio singulari perso-  
 næ profuturo . Horâ porrò quæ præcedit  
 constitutum tempus lectioni Catecheticae ,

Tu



Tu vel Tuus Socius Forum Plateasque Civitatis percurfabitis, voce magnâ invitando cunctos ad audiendam explicationem Sacræ Doctrinæ. Scribes identidem ad Collegium Goanum, quæ ministeria Divinæ Gloriæ promovendæ apta, quo ordine, quo fructu animarum, Deo fortunante tuos imbecilles conatus, exerceas. Fac autem accuratæ descriptiones istæ sint, quas Nostri Goenses rectè mittere in Europam possint, specimen illic futuras, nostræ in his partibus industriæ, favorisque Dei tenues minimæ Societatis labores successu aliquo dignantis. nihil in eas irrepit quo jure quisquam offendatur, nihil quo legentes primo ipso aspectu ad Deum laudandum ipsique obsequendum impellendos, non appareat verisimile. Missitabis etiam ejusdem argumenti, accommodatâ ad personas cautione, proprias literas ad D. Episcopum, & ad Cosmum Agnezium; utrumque impertiens faustis nuntijs fructus per Dei Benedictionem existentis ex culturâ isthic animarum. Cum primùm Armuziam perveneris, visas censeo privatim quos maximè probos ac veraces, simulque motum urbis ac commercij peritros illic homines repereris. ab his sedulò



exquire, quæ ibi vitia dominantur? quæ fraudum genera in pactis & fœnerationibus vigeant? quò his planè ac certò comper-  
tis, parare ad expeditum usum possis aptas rationes & accommodata verba ijs vel de-  
docendis, vel increpandis, qui se tibi, vel in familiari congressu, vel in Confessione Sa-  
cramentali offerent palliatarum usurarum, aut captiosorum Rei contractuum, vel alte-  
rius cuiuspiam affines usitatarum in illo tam frequenti ex cunctis gentibus Emporio om-  
nis generis pravitatum. Singulis noctibus Domos Urbis obambulans, commenda-  
bis suffragijs viventium animas defunctorum, in Purgatorio noxarum reliquias luen-  
tium, verbis ad hoc utens paucis, sed aptè delectis ad commovendam miserationem audientium, & religionis sensum quen-  
dam ijs ingenerandum. Adde voces quibus excitare cunctos coneris ad orandum pro animabus peccati lethalis maculâ fœ-  
datis, impetrandamque ipsis à Deo Grati-  
am è statu tam infelici emergendi. utram-  
que commendationem finies indictâ, & pri-  
moribus vocabulis inchoatâ recitatione Ora-  
tionis Dominicæ & Salutationis Angelicæ. Continuâ in id attentione dabis operam,  
ut



ut omnibus semper quibuscum ages, vultum benignum & serenum exhibeas; torvitatatis, superciliosæ arrogantia, mœstitiæ suspiciosæ, aut iræ minacis, cunctis indicijs procul amotis. Alioqui si te infestum his intemperiarum signis qui te adeunt deprehenderint, haud dubiè contrahentur, & se avertent; nec eam tui fiduciam admittent, quæ necessaria fuerat, ut ex tuo congressu proficerent. multò autem studiosius affectare comitatis amabilis speciem, arrisu & affabilitate blandissimis, debebis, quando aliquem privatim, culpâ ejus id exigente, reprehendes. tunc enim vel maximè omni ope conandum est, ut emineat ex ore atque oculis humanitas & caritas, quâ te unâ præ te feras urgeri ad benè merendum de illo quem admones, labe ipsam inquinante detergendâ: non autem aversione ullâ, instinctive odij ad eum objurgandum erumpere. Quos Sacerdotes, Clericos, aut Laicos adscribi Societati, & Asceticis commentationibus exerceri cupientes, idoneos ad hoc judicaveris, mittere poteris Geam cum Epistolâ quæ quid sint & velint indicet; vel etiam si eorum isthic auxilium tibi utile putabis, in convictum  
ibi



ibi tuum admittere, & consuetis, prout res  
feret, experimentis tyrocinijs probare. Do-  
minicis & festis diebus horâ pomeridianâ  
secundâ, vel paulò post, concionaberis  
aut apud Sodalitium Misericordiæ, aut in  
templo, declarans Articulos Symboli Ser-  
vis Ancillisque ac Christianis liberis, fi-  
lijsque ac filiabus Lusitanorum: misso an-  
tea per vicos Civitatis Socio cum nolâ,  
qui addito ad tintinnabuli sonum vivæ vo-  
cis invitatu, cunctos admoneat, ut ad au-  
diendam Capitulum Christianæ Fidei ex-  
plicationem conveniant: nisi per te ipse  
isto per plateas præconio defungi mavelis.  
Tolles porrò Domo tecum in locum con-  
cioni delectum proficiscens, summam Do-  
ctrinæ Christianæ & expositionem Artic-  
ulorum Sacri Symboli, itemque quam scri-  
pto digessi Vitæ quotidianæ Christianæ ac  
Sanctè transigendæ formulam, quâ tradi-  
tur, quo ordine ac modo Animæ Christi  
religionem profitentes & salutis æternæ cu-  
pidæ, singulis diebus venerari, & invoca-  
re Deum debeant, præmuniréque se à la-  
psu, & ea quæ ad finem optatæ gratiæ ac  
felicitatis certò adipiscendum conferunt,  
exequi. Hujus exemplum formula ijs tra-  
des



des quorum confessiones audies, pœnæ loco injungens, ut quod in eâ præscribitur, certo dierum numero factitent. Eo nempe usum contrahent, ac postea ipsâ consuetudine ducente, facillè per se tenebunt quod Mandato Spiritualis patris semel arripuerint: gustatâ videlicet interim rei utilitate ac suavitate illecti. nam valdè bonas ea Formula Exercitatiounculas suggerit: experientiâque didicimus multos sub peccatorum Confessionem eâ uti aggressos, ingenti animi sui fructu in ejus usurpatione perseverasse. quocirca optimum factu censeo, non ijs illam solùm à te tradi qui prioris vitæ maculas tuo ministerio expiaverint: sed quibuscumque salutis propriæ non penitus incuriosis, utcumque alijs à te conscientiæ Arbitris utantur, communicari & commendari. Ac quoniam exempla ejus scripti, numero idoneo ut tam multis dispersas, habere te facillè non posse video: suadeo ut illam formulam in tabulâ descriptam defigas loco publico: puta in Æde Sacrà Nostræ Domine de Misericordiâ, ut eam inde qui ejus commodis frui volet, queat per sese describere. Quos ad Societatem juyandam aptos à te judicatos

ritè



ritè in eam admiseris , eos post mensem  
 Exercitijs Spiritualibus de more impensum,  
 eo experimentorum genere probabis in  
 quo nihil admodum ridiculæ translationis  
 ipsorum ad vulgi ludibrium appareat. Iu-  
 be illos sanè ministrare languentibus in No-  
 socomio , & ad omnia loci ac curationis  
 ejus , quantumvis humilia & stomachosa,  
 obsequia descendere . Impera vincos in  
 custodijs adire ; seque ijs miseris solandis ac  
 recreandis impendere omni sedulitate reli-  
 giosæ caritatis ; tum si quæ sunt ejus gene-  
 ris sui depressionem cum studio benemerendi  
 de hominibus conjungentia , ipsis ut pal-  
 lùm exerceant injunge . Spectacula sui gra-  
 tuitam insanix speciem habentia dare illos  
 in populum nec præcipe , nec tolera . no-  
 lo derideat eos vilis plebs ; & horum , qua-  
 si personatorum in Scenâ , mimicâ tradu-  
 ctione delectetur ; sed admoneatur officij,  
 & ad rectum laudabili exemplo , visis ijs , pro-  
 vocetur . Id eveniet si nunquam compa-  
 reant nisi in apparatu ad opus quoddam  
 bonum accommodato . puta cum suspensis  
 ab humero manticis ostiatim pro egenis  
 mendicabunt , & quæ collegerint ad car-  
 cerem aut Ptochotrophium palàm deferent .

Ejus-



## NOVARVM EPIST. Lib. 4. 285

Ejusmodi de se victorias deque mundo referant quarum specie, Vulgus intuens ad bonum excitetur, fructu pauperes juventur. Porro ad hæc ipsa experimenta à quibus natura abhorret plurimum, ne cunctos eos indiscriminatim adigas; sed explorato prius quid quisque habeat animi, quid commode possit. non enim eadem sunt vires omnium. dispar indoles, diversa educatio, dissimilis in virtutibus profectus, discrimen Tyronum magnum efficiunt, in primis considerandum ipsorum moderatori, ut statuatur, quænam exercitio cuique conveniat. hoc est quæ in re quisque ita tentari possit, ut merito speretur facturum cum tentatione proventum, pro mensurâ illi communicatæ Divinæ Gratiæ. Absque hac discretionem Rectoris Tyronum, facile continget eos qui gravabuntur supra vires, despondere animum, & retrò respicere, pedemque referre; cum potuissent, si peritiori uterentur duce, ad magnos olim in religione progressus pertingere. Præterquamquod ista inconsulta præscriptio mortificationum captum ac statum tenerorum in viâ Spiritûs Novitiorum excedentium, aversionem ijs ingenerat à Magistro, fiduciam-



clamque demit pandendi ei cordium inti-  
 ma . Atqui omni ratione providendum est  
 Tibi , & omnino cuiusvis Institutori Juve-  
 num ad Religionem , ut quas in animo  
 sentiunt depravatæ naturæ aut maligni spi-  
 ritus suggestiones à recto avocantes , con-  
 festim ut exoriantur enuntient , summâque  
 ingenuitate fateantur . quod ni faciant nun-  
 quam earum se laqueis expedient , nunquam  
 ad perfectionis apicem trans insidiarum ,  
 obstacula percurrunt ; quin è contrario  
 ista prima mali semina ab ijs infeliciter su-  
 scepta , & incauto fota silentio , in pertur-  
 bationes sensim inquietiores adolescent ,  
 quoad obducto tandem tædio Disciplinæ sa-  
 lutaris , respectare unde venerant victos ani-  
 mi coegerint , & iugo Christi excusso ad  
 veterem resilire licentiam . Quos aut Con-  
 fessione ipsorum , aut signis alijs cognove-  
 ris ad inanem gloriationem , ad obsequen-  
 dum cupiditatibus sensuum , aut ad quævis  
 alia vitia vehementius impelli , ijs hac com-  
 modâ ratione suggerere auxilium in tali  
 opportunum periculo poteris . lube illos  
 dato ad id spatio conquirere argumenta  
 omnis generis , quibus efficacissimè posse  
 sibi viderentur aliquem vel arrogantiam tur-  
 gidum ,



gidum , vel intemperantiæ deditum , vel si quo alio ipsi tentantur , animi morbo laborantem , aut curare jam affectum , aut præmunire periclitantem : te ipso loca librosque indicante , ac manucente ad inventionem rationum huc facientium . ubi farraginem congesserint , præcipe ut ex his orationes concinnent , quasi pronuncianturi , vel ad concionem in Templo aut plateâ , vel ad convalescentes in valetudinario , vel ad vincetos in carcere : tum re ipsâ da operam ut sermones ejusmodi pererent . Licebit sperare quæ alijs remedia præscripserint , ipsos ultrò sibi sumpturos : & hæc antidota venenorum mentis vim prius suam exertura in animis quibus intimè adnota studio attento & acri commentatione fuerint , quàm in auditoribus obiter aliena sensa inopinatò proposita cognoscentibus . pudebitque ipsos haud dubiè in eo labi , unde alios tanto conatu retrahere contenderint . Similem cum proportione adhibere artem poteris ad sanandos propè desperatæ perversitatis peccatores , qui negant imperare se sibi posse , ut aut occasiones flagitiorum à se amoveant , aut rem alienam quam malâ fide

dediti-



detinent , restituant . ideóque volentes in-  
 criminum conscientiam persistunt , exortes  
 Sacramentalis absolutionis , quam se merito  
 privari non ignorant : & tamen propter  
 infamiam spontanei cujusdam anathematis ,  
 quo se cum publicam offensione irretitos no-  
 runt , sentiunt quaedam interdum suae ip-  
 forum tædia nequitiae , nec non periculi  
 aeternae damnationis , cui subjacent , quos-  
 dam identidem horrores . His blandam in-  
 sinuatione tibi conciliatis suggere-sis : ut  
 pro sua prudentiam secum ipsi exigant , quid  
 dicturi Amico forent cum iisdem difficul-  
 tatibus luctanti , ut eum ad emergendum  
 è luto illo , & saltum è foveam expediendum  
 excitarent . Ac comiter roga ut vel  
 exercitationis ludicrae gratiam , sermone te-  
 cum familiari , ne graventur experiri quan-  
 tum ingenio valeant in excogitandis ad ta-  
 les suasionis argumentis . Audita probata-  
 que quae afferent in ipsos suaviter retorque,  
 orans pro amicitiam , ut velint sibi quoque  
 ipsis idem officium praestare , intimè admo-  
 vendo , vulneribusque applicando proprijs  
 quas morbis Amicorum depellendis salu-  
 bres medicinas autumant . Miserans ani-  
 mas quas ad se laudandum , & sic felicita-  
 tem



tem assequendam à se conditas, beneficentissimus Deus Noster ruere in perniciem, per abrupta vitiorum cernit, hanc ijs adiecit quâ retraherentur quasi ansam propensam ad salutem aliorum studij: ut qui veram in se primùm ipsos caritatem habere, pro mensurâ debuerunt amoris in proximos: ex hoc adhuc vigente, in necessarium salutis propriæ studium, quod male negligunt, reflectantur; arte non omitteudâ nobis, quos nihil intentatum in reducendis ad sui Creatoris obsequium animabus, æternoque ipsarum exitio prævertendo, quoad ejus rei per hanc vitam, tempus est, relinquere convenit. Sistent tibi se interdum in Sacro Tribunali pœnitentiæ impliciti fœdis amoribus homines, aut prædis raptu congestis, quibus avarè incubant, redundantes, quos ad abigendas è contubernio Pellices, ad refarcienda rapinarum spoliatis, per restitutionem, damna, nec Dei Amor aut reverentia, quas funditùs perdiderunt, nec metus mortis, aut Inferni, ad cuius sensum occalluere, queat adducere. Hos una ratio terrendi est, intentandis minaciter malis, quæ horrent sola, vitæ hujus. Ergò

T

istis



istis denuncia, brevi, ni Deum iratum  
 placare properent, superventuras ipsis ja-  
 cturas naufragiorum, insectationes Præfe-  
 ctorum, calumnias litium, damnationes  
 judiciorum, carcerum longas ærumnas,  
 morborum incurabilium in summâ egestate  
 ac destitutione, nullâ consolatione mitiga-  
 tas acerbitates; inter infamiam, ipsos &  
 Posterios eorum indelebili maculâ defor-  
 mantem, inter odium & execrationem pu-  
 blicam; qualia his & illis probè ipsis no-  
 tis, nec magis quàm illi meritis, evenisse  
 meminerunt. Deum quippe nunquam im-  
 punè contemni: & eò irrevocabiliùs sævi-  
 re, quò patientiùs expectaverit. Taliùm  
 certò imminentium imagine cladium percul-  
 sos facilè primus concutiet impulsus timo-  
 ris Domini, qui miserè hætenùs demen-  
 tatis initium sapiendi sit futurus. Quo-  
 tiescumque te accinges ad tractandum cum  
 quolibet de rebus Dei cultum & salutem  
 æternam attinentibus, adhibe hanc pru-  
 dentiam, ut non priùs verbum facias, quàm  
 odoratus sis, ac quibus poteris signis ex-  
 ploraveris, statum intimum ejus animi.  
 Tranquillus ne an turbatus vehementi affe-  
 ctu: paratus sequi viam ad rectum osten-  
 sam,



sam, an scienter aberrans, & irrevoca-  
 biliter affixus studijs humilium curarum,  
 quibus officia religionis posthabere cum  
 haftenus solitus, tum certus videatur in-  
 posterum: oppugnatus diabolicis infecta-  
 tionibus, an sibi & naturæ relictus: de-  
 nique paratus monentem audire; an tactu  
 asper & irritabilis, erupturus timeatur in-  
 furias, si contrectetur incautiùs. Ad quam-  
 cumque de his præsumptam notitiam tua  
 deinde accommodanda fuerit allocutio: ut  
 iratis mansuetè, turbatis placidè, præoc-  
 cupatis, arte aptâ sese insinuet; in bene  
 dispositos & ad quidvis honestum dociliter  
 sequaces, se liberiùs effundat: nullum ta-  
 men inaniter oblectans, aut in assentatio-  
 nem desinens meram: sed salubris semper  
 aliquid antidoti ægris quamlibet fastidien-  
 tibus scitè immiscens, quo per gradus ad  
 sanitatem disponantur. Ergò cuiuspiam odio  
 ardenti ex acri sensu recentis injuriæ, fa-  
 ctum de quo queritur, si pravum est, &  
 ipse improba. sed autorem imprudentiâ  
 prolapsam, non deliberatâ peccasse mali-  
 tiâ, quibus poteris argumentis doce. ubi  
 audiri te, nec planè displicere senseris,  
 adjunge: permisisse forsitan hoc Deum in-



pœnam similis olim ab ipso commissæ cul-  
 pæ . Hic familiariter interroga : ecquid  
 unquam se factò aut verbo læsisse alium  
 meminerit ? num saltem in pueritiâ rabio-  
 sulus aliquando in Parentes, contumax ma-  
 gistris, iracundus æqualibus, justam qui-  
 busdam de se querendi causam dederit ?  
 ubi assenserit, vicem sibi rependi, ut æqui  
 consulat, mone . Hanc enim ipsi nunc  
 offerri divinitus veteris expiandæ noxæ oc-  
 casionem pretiosam . si non justè queri-  
 tur, sensim adrēpens dilue rationes falsas  
 quibus sibi persuadet quod longè à vero  
 est : tum crescente paululùm fiduciâ, me-  
 renti molliter succense : denique ubi tutò  
 posse te senseris, fortiùs increpa . Emi-  
 neat inter hæc serena quædam & amoris  
 mixta indicijs in vultu dicentis alacritas .  
 His Dei Benedictione adjutis artibus inter-  
 dum excantantur intemperiæ perturbatarum  
 mentium, & quasi quidam quo teneban-  
 tur, Fascinus solvitur, liberat jam eas,  
 & recti capaces sinens . sic explanatâ velut  
 viâ fidenter ingrediens, promove ad per-  
 fectum quàm potes maximè, totas effun-  
 dens habenas studio Deum honorandi, con-  
 ciliando ipsi amore ac veneratione summâ  
 crea-



creatarum ad eum diligendum & laudan-  
 dum mentium. Quod præcepi superius,  
 ut quæ peccata, quæve commerciorum  
 fraudes Armuziæ frequentantur, è Peritis  
 disceres: nec ad eum locum, nec ad ista  
 specierum capita restringas velim. ubicum-  
 que fueris, etiam obiter & peregrinando,  
 à Viris Bonis & vitæ communis experien-  
 tibus stude semper quàm exactissimè cogno-  
 scere, non crimina solùm, aut rapinarum  
 ibi usitatas artes; sed usum universum po-  
 puli, persuasiones vulgares, studia Gentis,  
 peculiare regionis consuetudines, modum  
 regiminis, Fori stylum, litium formulas,  
 Pragmaticorum cavillationes, & quidquid  
 omninò in Reipublicæ ac civilis Societatis  
 ratione versatur, nihil enim horum (ex-  
 perto credas mihi) non utile scitu est Me-  
 dico animorum, ut citò morbos intelligat,  
 facilè remedia expediat, promptam sem-  
 per ac paratam cunctis occurrentium neces-  
 sitatibus opem habeat in manu. Hinc scies  
 quid creberrimè in concionibus inculcan-  
 dum sit, quid confitentibus magnoperè  
 commendandum. Hæc te notitia ad pro-  
 miscuos cum hominibus congressus instruet.  
 Eâ præmunitus, nihil ut novum mirabe-



re, nullo improvise occurſu æſtuabis . Hinc animi præſentiam in varietate ſubnaſcentium caſuum , hinc dexteritatem in multiplici tractatione cum quibuſvis , hinc auctoritatem ad omnes hauries . Sæculi homines cum à Religioſis admonentur, ferè contemnunt ; quòd eos imperitos rerum putant . Si quem non minus quàm ipſi verſatum ac tritum in uſu vitæ civilis experiendo cognoverint , hunc mirabuntur, huic ſe permittent ; eo Autore non dubitabunt etiam ſibi vim facere , ac quidquid , quamvis arduum , ſuaſerit , exequi . Vides fructum iſtius ſcientiæ ingentem ; in quâ ideo parandâ , non minùs tibi nunc , quàm alias in Scholis , in Doctrinâ Philoſophicâ vel Theologicâ quærendâ elaborandum exiſtima . Ea porrò non è libris mortuis in chartâ deſcriptis , aut membranâ ; ſed è vivis Codicibus , viris ſcilicet experientibus negotiorum , morum popularium callentibus , petenda tibi eſt . Cum illâ plus proderis quàm ſi totas ſpeculationum Bibliothecas mente comprehenſas , torrente verborum in turbam effunderes . Memento autem in ijs apud quos pondus tibi aliquod dignationis ac meriti facultas iſta

com-



comparaverit, primum autoritatis tuæ istius experimentum ostendere, procurando efficiendoque omninò, ut totius vitæ noxas accurato examine recognitas per Sacramentalem Confessionem in tuis auribus deponant: tum ut ad earum veram detestationem, rationibus ex Dei Majestate, & ei à suis creaturis debito amore, ductis, per secessum & commentationes eò accommodatas excitare se conentur. sic habe; fundamentum hoc est bonorum omnium. hoc caput. hoc cunctis prævertendum. Da deinde operam, ut eos controversiarum forensium tricis, odiorum nempe ac calumniarum Seminarijs, expedias. Suade igitur ut Amicorum arbitrio lites finiant, magno pecuniæ, curarum, existimationis compendio; nec cognitionem, si detulerint, recusa; cui vacare tuo & illorum commodo poteris, Dominicis aut alioqui feriatis à negotio diebus: querelas aut petitiones litigare parantium singillatim audiens, & compositionum temperamenta proponens, in qualia convenire conducibilius longè sit, quàm sumptu, tædio, periculo ingenti, per mendacia emptorum testium, fraudes impostorum, legulejorum



innumerabiles infidias , inter labyrinthos irremeabiles cavillationum , judiciorum æstu , ac quadam irrequietâ reciprocatione quasi vorticum Euripi , miserrimam quotidie aleam jacere statûs atque honoris funesto naufragio perdendi . Talia differens litigandi pruriginem vadimonia meditantibus excuties . multò autem faciliùs expertis jam Prætoriorum auram , & tumultûs Tribunalium pertæsis , approbabis consilium ab inchoatis certaminibus spontè desistendi . Scio ingratum hoc futurum Scribis , Advocatis , & cæteris variorum nominum Hirudinibus Fori , quibus quæstus ingens comparatur ex frequentia & longitudine causarum . Tu verò istorum de te hoc nomine querelas partim contemne ; partim quos poteris horum tuis artibus aggredere , deterrens à noxio artificio trahendarum in moras interminabiles litium ; tum admonens de periculo ipsis instanti æternæ felicitatis amittendæ : & quò tantæ rei prospiciant , invitans ad secessum dierum aliquot in asceticas commentationes expendendorum . Hærebis Armuziæ quoad à me literas acceperis , quæ migrare aliò jubeant . Scribes ad me per naves Armuziæ  
Mala-



Malacam ituras, inscribens fasciculum  
 Francisco Perezio. Volo ijs literis singil-  
 latim ac minutè quidquid operapretij ex  
 tuis laboribus extiterit, exponas. eas Fran-  
 ciscus Perezius Malacà in Iaponem ad me  
 curabit, si cordi Deo fuerit me ad ejus  
 Divinæ Majestatis obsequium ad Iaponem  
 tendere. Si à me spatio trium annorum,  
 nullas literas acceperis, toto tamen hoc  
 tempore Armuziæ persevera, quantumvis  
 à quocumque aliò inviteris, aut voceris.  
 nam hoc triennio te manere illic ad Dei  
 Gloriam opportunum judico, & planè im-  
 pero. Post evolutum triennium, si nihil  
 à me literarum perlatum ad te sit, per-  
 sistes ibi tamen quoad Rector Collegij San-  
 ctæ Fidei inde te migrare jusserit. quare  
 tunc fusè perscribes ad illum quod eatenus  
 Armuziæ feceris, quem fructum Dei opus  
 reportaveris, quem in posterum speres;  
 quid distinctè mandatum tibi à me disce-  
 dente fuerit de commoratione illic trien-  
 ni, quantumvis eo intervallo à Goano Re-  
 ctore evocareris: de cætero profitebere,  
 quando jam præfixum id tempus elapsum  
 sit, in ejus arbitrio te fore, paratum ad  
 nutum exequi quod præscripserit; sugge-  
 rens



rens tamen quæ post omnia coràm Deo  
 expensa , digna consideratione videbuntur  
 ad statuendum quod è re fuerit circa op-  
 portunitatem aut etiam necessitatem tuæ  
 ulterioris in eâ statione moræ . Ad eas li-  
 teras quidquid ille rescribens mandaverit,  
 sine ullâ excusatione aut dilatione facies.  
 quod dixi de literis ad me tuis , Malacam  
 Armuziâ mittendis , non sic intelligas , ut  
 semel in anno id factum satis sit . nolo si-  
 nas navem omnino ullam illinc Malacam  
 solvere , sine tuâ ad me Epistolâ , Franci-  
 sco , ut dixi , Perezio commendatâ . In  
 nave quàm conscendis proficiscens Armu-  
 ziam , fac , oro te , curam ingentem ha-  
 beas Navarchi , pelliciendo illum ad con-  
 fessionem peccatorum ; & ubi se ad frugem  
 tuis hortatibus receperit , diligenter præ-  
 cavendo ne iterum à recto deficiat . In  
 nave concionabere Dominicis diebus , alijs-  
 que quibus tibi opportunum videbitur .  
 Arbitrio enim tuo , circumspicis cunctis  
 quid in re præsentis magis expediat statuen-  
 ti , id totum permitto . ne in concioni-  
 bus eruditionem ac memoriam ostentes ,  
 recitandis magno numero testimonijs , &  
 autoritatibus Scriptorum veterum . Pauca ,  
 sed



fed lecta , & ad rem apta sufficiant . ma-  
 gna pars dictionis consumatur in graphicè  
 depingendo statu interiori ac tumultu Ani-  
 marum peccantium . inquietas machinatio-  
 nes , artificia callida , spes & cogitationes  
 vanissimas , consilia fraudulenta quæ men-  
 te versant fac in oratione recognoscant tuâ ,  
 & velut in speculo palàm cernant . Ad-  
 des funestos harum molitionum exitus ; di-  
 lues sophismata captiosarum suggestionum  
 capitalis Inimici Diaboli , modum ijs se-  
 laqueis extricandi trades . ni faciant terro-  
 res accumulabis . attentè nimirùm homines  
 illa potissimùm audiunt , quibus intimè  
 convenitur conscientia ipsorum . Specula-  
 tiones sublimes , quæstiones perplexæ , Scho-  
 lasticæ controversiæ , ut captum , sic & cu-  
 ram humi repentium prætervolant , inani  
 sonitu detonant , nullo fructu evanescent .  
 Ipsos ipsis clarè ostendas necesse est , si te-  
 nere ipsos ex te loquente suspensos velis .  
 ut autem exprimas quæ penitus sentiunt ,  
 nosse illa priùs opus est . noscendi verò  
 unica ratio , multùm cum illis esse , ex-  
 plorare , rimari , observare . Hos itaque  
 vivos libros evolve plurimùm . hinc ratio-  
 nes ad efficaciter docendum : hinc facultatem  
 tem



tem agendi ferendi, ac quò ad illorum salutem conveniet, flectendi movendique Peccatores trahes. non veto tamen lectionem mortuorum librorum. Sacræ Scripturæ, Patres Ecclesiæ, Sacri Canones, libri Ascetici, quique officiorum jura & differentias tradunt, suis sanè temporibus diligenter consulantur. Ex his enim remedia tentationum, argumenta persuasionum, stimuli heroicorum affectuum, exempla laudis omnis ex Sanctorum Actis saluberrimè ducuntur. sed frigida ista sunt, & parùm juvant, nisi priùs aperiantur ijs profundè admittendis Auditorum Animi. horum porrò referendorum certa clavis est, ista quàm dixi repræsentatio statûs interni cujusque, peritè à consuetudinis humanæ benè gnaro Concionatore facta, & in bono lumine cujusque sensibus objecta. Quandoquidem pro suâ munificentia constituit Rex, ut illic tibi necessaria ad vitum è suo Fisco præberentur, utere illâ Optimi Principis Gratiâ; & à solis ipsius Ministris accipe vitæ subsidia quibus indiges; ab alijs ultrò etiam oblata reiiciens. nam ad autoritatem libertatemque curatoris Animarum, insignis est momenti, nemini



mini eorum quos dirigere in salutis viâ,  
 & ubi aberraverint corripere retrahereque  
 debet, esse obnoxium titulo præbitionis  
 alimentorum, hoc est, vitam & spiritum  
 debere. verèque de hoc genere Donorum  
 dici solet, qui capit, capitur: fiduciam  
 videlicet amittit quidquam jure censorio  
 agendi cum eo, cujus patronali reveren-  
 tiæ Clientis humilitate se adstringi passus  
 est. Hinc est quod æstuamus in verbis  
 reperiendis quibus castigemus, quando me-  
 rentur, qui nos pascunt: aut si vim  
 verecundiæ zeli atque officij imperio faci-  
 mus, minùs tamen proficimus, apud de-  
 spicientes nos quodam supercilio Dominij,  
 beneficiorum in nos impensorum pretio si-  
 bi, ut putant, legitimè parati. Atque  
 hoc cum universè verum est, tum magis  
 locum habet in certis hominibus, de qui-  
 bus te præmunire necessarium duco, qui  
 flagitijs demersi, tecum tamen familiarita-  
 tem affectabunt, certatimque civilibus of-  
 ficijs amicitiam tuam ambient, non ullo  
 desiderio proficiendi ex congressu sermo-  
 neque tuo ad emendationem nequitiae, in  
 quâ perdurare ad extremum decreverunt;  
 sed ut tibi os obstruant & linguam vin-  
 ciant,



ciant , cuius pertimescere censuram suæ ip-  
 sos conscientia improbitatis admonet . Hos  
 ne planè repellas censeo , aut eorum obse-  
 quia prorsus aspernè : ne invitationes qui-  
 dem ad mensam , aut munera reiicias , si  
 modica sunt , nec magni pretij , ut aqua,  
 fructus recentes , & quæ sunt ejus gene-  
 ris , qualia recusari , offerentes probro du-  
 cunt , more inter Lusitanos hîc in Indiâ  
 recepto : cæterùm præ te fer & liberè de-  
 nuncia , eâ te conditione munuscula ipso-  
 rum admittere , si vicissim illi tuas admo-  
 nitiones & adhortationes boni consulere  
 sint parati : promittere quoque ad coenam,  
 cum ab illis vocaris , istâ demùm lege ; si  
 pariter ad confessionem peccatorum , &  
 participationem Eucharistici Epuli , ipsi  
 te invitante , se accingant . porrò ista quæ  
 dixi non debere reiici metu amicitia læ-  
 dendæ munuscula esculentorum , simul ac-  
 ceperis , continuò ad ægros in Nosoco-  
 mium , ad vinctos in Custodias , aut egen-  
 tes alios trans mitte . Probabit & commen-  
 dabit videns populus talem acceptorum à  
 te munerum usum , & omni te deliciarum,  
 aut quæstuosæ gratiæ suspicione absolvet .  
 De diversorio tibi , quando illuc pervene-  
 ris ,



ris, eligendo, prudenter inspecto statu rerum præsentium, decernes, ut aut in publico Xenodochio, aut in Ædibus Sodalium Misericordiæ, aut in Domunculâ Templo vicinâ, prout magis expedire videbitur, habites. Si contigerit te à me in Iaponiam vocari, scribes continuò ad Rectorem hujus Collegij, idque duabus tribusve vijs per naves totidem isthinc Goam versus solventes, rogans eum ut provideat aliquem è nostris idoneum juvandis & consolandis civibus istius Vrbis, quem in eâ tibi statione successurum quàmprimùm destinet. Ad extremum te ipsum tibi ipsi præ omnibus impensissimè commendo. nunquam tibi excidat memoriâ te membrum IESV Societatis esse. In singularibus quæ se illic offerent occasionibus gerendarum rerum, quid magis è Dei Domini Nostri obsequio sit, ipse te usus & præsens experientia docebit. non est hâc ulla melior & certior prudentiæ magistra. Fac quotidianis tuis & tuorum quos in Religione diriges, precibus communi me Domino commendes diligenter. Postrema longæ Paræneseos hæc præscriptio sit: Singulis saltem semel Hebdomadis hanc Scripturam attentè



tè totam relege : ne unquam in eâ præceptorum ulla te subeat oblivio . Dominus utinam Deus Noster , te comitetur & isto itinere deducat : idemque tamen permaneat hic nobiscum . Vale . Goræ Mense Ianuario  
AN. MDIOXLIX.

*Franciscus .*

## EPISTOLA V,

P. SIMONI RODERICO

Societatis IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
adsit semper vobis auxilio &  
favore . Amen .*

**Q**ui has Tibi reddet literas, homo est  
usu hinc aliquo mihi notus . Is in  
Lusitaniam proficiscitur animo po-  
stulandi à Rege præmia operæ à se Reipu-  
blicæ navatæ : vehementerque me insti-  
tit , vt commendatitias in eam rem ad Te  
Literas darem . Agnosco equidem , nec  
dissimulavi , longè quæstuosiore in am-  
bitio-



bitionis artem instituire illum , agendo  
 cum Deo , posse ; impetrandâque ab eo  
 suorum peccatorum veniâ ; quàm merito-  
 rum ac rectè factorum terrenam mercedem  
 à Rege mortali nundinando . Is tamen  
 ab istâ vtique spe ac cogitatione , hîc qui-  
 dem , deduci non potuit . Experiare  
 isthic censeo , ecquid animum cum Cœlo  
 mutaverit . Et si forte illum mala pericu-  
 laque navigationis opportuniorē cœlesti-  
 bus monitis fecerint , suade homini , ut  
 Monachus potius isthic hæreat , quàm  
 hûc redeat Miles . Si persuaseris : nã Tu  
 hominem miserum ingenti affeceris bene-  
 ficio ; atque adeo lucrifeceris animam per-  
 ditam . quod si defixus caducis animus ad  
 tantum Philosophiæ non assurgit , iuve-  
 tur sanè in ijs quæ iustè postulat ; & Te ;  
 quoad potes , conciliante consequatur ex  
 honorarijs quæ meruit longâ militiæ toleran-  
 tiâ , saltem quantum ad victum isthic ei opus  
 est . Id ego Te ut coneris ejus causa etiam  
 atque etiam per Dei caritatem rogo .

Postquam omnes literas perscripsi quas  
 dare constitueram in Lusitaniam ferendas  
 Petro Fernandez , functo in his Indiæ Tra-  
 ctibus munere Proëpiscopi , appulerunt huc

V

Mala-



Malacá Naves quæ certò nunciant , Portus Sinicos infensos infestosque Lusitanis esse . Non tamen hoc me deterrebit à tendandâ profectiōe in Iaponiam , quàm ut iam significavi Tibi me decrevisse , ita Deo iuvante suscipiam . Non est enim alius fructus animi maior in hâc ærumnosa vitâ , quàm vivere in magnis moriendi periculis , quorum adeundorum unica & vera causa fuerit solus Dei Amor , & ei gratificandi , dilatandæque Nostræ Sanctæ Religionis sincèrum studium . Suavius mihi crede , homini est in hisce laboribus versari , quàm sinè illis pacatè , otiosèque vivere . Deus Dominus Noster nos in suâ sanctâ gloriâ coniungat . Vale . Cocino VIII. Kal. Februarias Anno CIOICXLIX.

Tuus in Christo Amantissimus Frater .

*Franciscus .*

EPI-



## EPISTOLA VI.

IOANNI III. REGI

LVSITANIÆ.

**N**on seribo Maieftati Tuæ calumnias, iniurias, vexationes, quibus hîc exagitantur & opprimuntur qui recens ad Noftam Sanctam Religionem accefferunt. Pater enim Frater Ioannès de Villa-comdea isthuc proficiscens cuncta ejus generis fusè veriffimèque narrabit, & quasi subijciet oculis Maieftatis Tuæ. Debes illi viro, Domine, multas gratias ob labores ingentes & innumerabiles quos per hos Indiar Tractus exhaustit in Divino tuoque obsequio, & ut conscientia atque officij Maieftatis Tuæ rationes expediret apud Deum. At in æftimando Patris Fratris Ioannis merito, nolim à Maieftate Tuâ solùm reputari contentiones, perpeffiones, vigiliæ, & cæteras corporis ærumnas; utcumque eæ multæ, graves, continuæque fuerint, quas pertulit. Ludus enim hæc ac remiffio sint, si comparentur

V 2 cum



cum mentis angoribus , & dirissimo tormento animi quo intimè lacerabatur spectans suis oculis , nec prohibere ullâ ratione valens , Præfectos Arcium & Procuratores Fisci immaniter agere ferreque , & avarissimè diripere miseros Neophytos , in fide Christi , quàm nuper susceperunt , teneros adhuc : quos ideo illi ipsi qui vexant Christiani Magistratus fovere potius debuerant & beneficijs amplecti . Hoc vero , mihi crede Domine , Cordolium longè supra omnes corporis dolores acerbissimum est ; atque adeo , vt sic dicam , martyrij genus horrendum , cruciatibus quibusvis tyrannicis atrocius , cogi patienter acquiescere cum videas momento destrui alienâ culpâ , quæ tuo & aliorum longi temporis vehementissimo conatu , ærumnosissimâque constantiâ , proximè fastigium perducta erant . Hic pro certo ferebatur , Regem Ceilani pretiosa xenia ad Maiestatem Tuam mittere , ob beneficia quæ à Te quotidie accipit plurima . Habeat pro indubitato Maiestas Tua , immanem in eo & acerbissimum Christi hostem Ceilani regnare : & , quod penè dictu nefas est , ad nocendum Christi cau-

sæ ,  
mè  
quân  
arma  
audi  
peri  
frust  
hic  
expo  
in p  
rior  
prof  
quân  
Chr  
cern  
terd  
min  
non  
uti  
dur  
fici  
Ma  
bus  
ita  
stu  
Do  
De

sæ ,



sæ , opprimendamque quàm potest maxi-  
 mè religionem , non aliâ magis potentiâ ,  
 quàm tuâ gratiâ tuisque Donis autorari &  
 armari . Verissima hæc sunt ; sed vobis  
 auditu fortasse non grata . quare equidem  
 perinvitus scribo ; præsertim cum id ne  
 frustra fecerim , metuum , Dum enim  
 hîc de futuris æstimatur ex præteritorum  
 experienciâ , sanè verendi causâ est , ne  
 in posterum quoque maior longè ac cla-  
 rior Tuæ Maiestatis favor , extet in illum  
 professum & atrocem Inimicum Christi ,  
 quàm in Religiosos Sacerdotes qui rem  
 Christianam Cēilani curant . quæ palàm  
 cernentibus , evidentia ipsa rerum voces in-  
 terdum elicit liberas , quas pace tuâ , Do-  
 mine , hîc ponam : Imperio Te Indiarum  
 non ad amplificandum Christi Regnum  
 uti ; sed ad corradendas opes humanaque  
 dumtaxat ac temporaria Tibi ac Tuis con-  
 ficienda commoda . Ignoscat mihi quæso  
 Maiestas Tua si tam clarè ac sine ambagi-  
 bus res vt sunt exprimo . Hoc enim me  
 ita facere cogit verus & syncerus amor ac  
 studium quo Tui Tuæque Salutis æternæ .  
 Domine , teneor : cum audire mihi videar  
 Dei Sententiam Supremo Iudicio decer-



nentis , aut potius quid decreverit extremo  
 Tuæ mortis momento , declarantis ; cuius  
 necessitatis vim nemo eluctari quantumvis  
 potens ; nemo arte propriâ , ope ve alte-  
 rius cuiuslibet , valet effugere . Nec , quæ-  
 so , nimium confidat Maiestas Tua ijs Man-  
 datis quæ multa & gravia piè ac specio-  
 sè inferis Literis Regijs ad Prætorem , Præ-  
 fectos , & cæteros Indiæ Magistratus , iu-  
 bens ante omnia Religioni caveri & fave-  
 ri Christianæ . Ego enim , Domine , qui  
 res uti se habent præsens intueor , clarè  
 intelligo , nullam prorsus restare spem fo-  
 re ut talibus unquam mandatis verè ac se-  
 riò deferatur . quare una mihi non in po-  
 stremis causa est Iaponiam cogitandi , ut  
 illas in extremas Orientis Insulas fugiens ,  
 operam utiliùs , quàm hîc hætenus , col-  
 locem . Pater Frater Ioannes fert secum  
 communicanda Maiestati Tuæ capita qua-  
 dam circa miseros Christianos Oræ Como-  
 rinensis . Capiat Maiestatem Tuam aliqua  
 misericordia illorum . neu gravere esse il-  
 lorum Pater ; Orphani enim sunt , morte  
 nuper Michaëlis Vazij , optimo ac verissi-  
 mo Patre amisso . Quinque & quadragin-  
 ta jam anni sunt ex quo Episcopus qui-  
 dam



dam Armenus , nomine Iacobus Abuna ,  
 Deo hîc & Maieftati Tuæ infervit . Ho-  
 mo eft ex æquo ferè Deo carus ob virtu-  
 tem ac Sanctimoniam ; & Maieftati Tuæ ,  
 ac omnibus ferè qui poffunt aliquid in  
 Indiâ , neglectus ac fpretus . Deus illi fic  
 merenti per fe confultat ; Nos eo haud di-  
 gnans honore , ut instrumentis vtatur no-  
 bis ad confolandos fervos fuos . Soli eum  
 Ordinis Sancti Francifci Patres ita curant ,  
 eâque amplectuntur benevolentia cui nihil  
 addi poffit ; absque quâ foret , iamdiù bo-  
 nus fenex confectus ærumnis efilaffet ani-  
 mam . Liceat confulere quod fentio . Ma-  
 gnoperè autor fum Maieftati Tuæ , ut ad  
 iftum Bonum Præfulem fcribi cures tuo no-  
 mine verbis honorificis & benevolis ; indi-  
 to Literis ijsdem , quod poffit Gubernato-  
 ribus ac Procuratoribus monftrari , man-  
 dato , præfertim Præfecto Cocinensi , vt  
 eum honorent , hospitio excipiant , offi-  
 ciji & favore profequantur ; maximè cum  
 quid petet , aut quâ re indigebit . Hæc  
 fcribens , non illi pio Antiftiti prodeffe  
 ac gratificari me putabam , fed Maieftati  
 Tuæ . Nam ei per beneficam Patrum Fran-  
 cifcanorum caritatem , nunc quidem nihil



deest : Maieftas vero Tua Hominis apud Deum gratiosi favore ac commendatione multum eget ; quàm promereri tali poteris officio . Eo est ille vir , vel hoc nomine digniffimus , quòd multum exhausti laborum in excolendis Christianis Sanctæ Thomæ : & nunc in fuâ penè decrepitâ ætate obedientiffimè fe accomodat cunctis ritibus & confuetudinibus Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ . Scio scribere folere Maieftatem Tuam ad Patres Sancti Francisci . ei fasciculo posset inferi hæc ad Episcopum Armenum Epistolâ , quàm suadeo scribas omnibus favoris , æstimationis , & affectus significationibus plenam . Deus Dominus Noster imprimat penitus menti Maieftatis Tuæ claram notitiam Sanctiffimæ Voluntatis suæ ; suggeratque simul vires , & auxilium conferat ad eam ita plenè perfectèque exequendam , ut Tua Maieftas gaudeat à se factum Horâ extremâ mortis suæ . quando à Te , Domine reddenda Deo ratio erit totius anteaçtæ vitæ . Id decretorium æternitatis momentum citiùs aderit quàm Maieftas Tua putet . quare danda maturè opera est ut benè ad illud paratus occurras . Regna & Principatus transeunt .



seunt . His nova succedet & inopinatissima facies rerum : planè qualis ne cogitatione quidem ac suspitione primâ , Maie-  
 stati vniquam Tuæ in mentem venerit . Videbis enim Te per mortem spoliatum Regnis , & possessionibus eiectum cunctis , in alia longè diversa contrudi terribilia & tenebrosa Regna ; in quæ durissimum & acerbissimum erit relegari ex illis alijs avulsam ; præsertim si , quod Deus avertat , extra Paradisum & ejus spem esses amandandus . Cocino VI I. Kal. Februarias Anno CIOIOXLIX .

Tuæ Maieſtatis Servus inutilis .

*Franciscus .*

EPI.



## EPISTOLA VII.

P. SIMONI RODERICO

Societatis IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
ad sit semper nobis auxilio &  
favore . Amen .*

**N**E mirere quòd scribam ad Te sæ-  
pius . Nam & multi sunt qui hinc  
ad vos proficiscentes , literas à me quas  
ad Te perferant , petunt : & Ego perliben-  
ter omnem occasionem arripio compe-  
landi tui : utique confidens fore , ut quæ à  
me scribuntur fructu animi mei magno , à  
Te pro amore mutuo , legantur non sine  
voluptate . Qui Tibi hanc reddent Episto-  
lam duo viri honesti sunt ac probi , opti-  
mique Christiani , cives Malacæ Urbis ,  
ubi Domicilia & Familias habent . Cau-  
sa illis fuit isthuc navigandi , cura exolvendi  
se certis officijs obsequijsque ad quæ ad-  
stringebantur . Narrabunt Tibi multa de  
Malacâ civitate , de laboribus in eâ no-  
stro-



strorum , & fructu qui ex ijs provenit ,  
 quæ habent perspectissima , utpotè cuncto-  
 rum testes oculati . Ferunt etiam literas  
 Patris Francisci Perez , quibus puto illum ,  
 uti se facturum recepit , fusè , distinctè , ac  
 minutim explicare quo successu functiones  
 Instituti Nostri propriæ illic exercentur .  
 nec tacebunt de Sinicis Iaponicisque re-  
 bus . in eâ enim Vrbe diù fuerunt , quæ  
 commercijs illarum Terrarum & Gentium  
 opportuna , optimè omnium novit quid  
 in ijs geratur . Mirari se multàm aiunt  
 amici mei ac familiares omnes , quòd na-  
 vigationi tam longinquæ tamque periculo-  
 sæ me committam . Sed miror Ego ma-  
 gis modicam illorum fidem . Habet in  
 manu ac ditione suâ Deus Noster Tempe-  
 states Marium Sinici & Iaponici , quibus  
 vehementiores negant uspiam ullas existe-  
 re . Subsunt eiusdem potestati venti om-  
 nes , scopuli , Syrtes ac Brevia , quæ plu-  
 rima , insidiosissimaque , ac infamia nau-  
 fragijs ibi feruntur esse . Imperio idem  
 suo continet Piratas omnes , quorum illic  
 infinitum numerum prædicant , eorundem-  
 que immanissimorum , quique soleant ex-  
 quisitis enecare cruciatibus quos capiunt ,  
 præ-



præsertim Lusitanos . Cum igitur Deus  
 Dominus Noster sub suâ ditione teneat  
 hæc omnia , à nullo eorum quidquam ti-  
 meo . Deum ipsum metuo solum ; ne ob  
 meam in ejus obsequio negligentiam ,  
 quodque ineptus inutilisque meâ culpâ sim  
 in Regno ac Nomine IESV Christi Filij ejus  
 inter Gentes quæ ipsum non norunt pro-  
 ferendo , iustè castigandum decernat . Ex-  
 tra hunc , omnes illos alios metus , pe-  
 ricula , labores , quæ tam formidolosè Ami-  
 ci certatim intentant mei , non facio nau-  
 ci , & securus rideo ; unusque in me Dei  
 Timor cunctos creaturarum metus extin-  
 guit ; quippe quas nocere nemini scio pos-  
 se , nisi cui & quatenus Conditor ipsarum  
 incommodare permiserit . Redeo ad duos  
 Nostros , oroque Te , pro eo quantum  
 Dei ac Domini Nostri Amor atque obse-  
 quium Tibi cordi est , ut paucis diebus  
 quibus Vlyssippone futuri sunt , eos fo-  
 veas , hospitio commodo excipi cures , in-  
 cunctis adiuves , prout poteris & res exi-  
 get . Ac cum , auditis , quæ multa illi vo-  
 bis de Indiâ narrabunt , ipsos confectis ne-  
 gotijs remitteris hùc , fac eis deferendas ad  
 nos tradas longas & accuratas literas , quæ  
 nos



NOVARVM EPIST.Lib.4. 317

nos omnia doceant de cunctis Societatis  
Nostræ Patribus ac Fratribus , qui in Ita-  
liâ , Galliâ , Belgio , Germaniâ , Hispa-  
niâ , & Aragoniâ sunt : nominatim autem  
de benedicto & mihi singulariter caro Col-  
legio Conimbrincensi . Has Tu literas Ma-  
lacensibus Nostris inscribas censeo . Illis  
enim tradita earum autographa ab his duo-  
bus indidem civibus ad sua reducibus ,  
servabuntur ibi ; & exscripta ex ijs exem-  
pla ad nos è Malacensi Portu , vnde sin-  
gulis annis multæ in Sinas & Iaponiam  
naves solvunt , tot mittentur vijs , ut per  
vnam harum aliquam successum habituram  
ad nos perventura sint . Deus Dominus  
Noster nos coniungat in suâ sanctâ Paradi-  
si Gloriâ . Amen . Kalendis Februarij An-  
no CIOIOXLIX.

Tibi deditissimus & Tui Amantissimus in  
Christo Frater.

*Franciscus .*

EPI-



## EPISTOLA VIII.

*P. Paulo Camerti Societatis IESV Rectori  
Collegio Goani.*

**P**ROFICISCENS in Iaponiam te Goano Collegio Praepositum, Per quantum Deo Domino Nostro gratificari studes, perque amorem quo P. Ignatium & IESV Societatem universam amplecteris, primùm ac super omnia obsecro atque obtestor, ut intimâ demissione, attentissimâ circumspeditione, summâ semper in omnibus adhibendâ maturitate recti iudicij, enitaris tranquillè, concorditer, amanter vivere, cum Antonio Gomezio, cumque omnibus nostris variè per Indiam dispersis. Equidem pro intimâ, quam habeo notitiâ omnium Societatis IESV Operariorum qui hodiè per hos Tractûs Deo & Ecclesiæ inferviunt, facilè judico non indigere illos moderatore à quo in viâ Divini obsequij dirigantur: tamen ne illis plus merendi per obedientiam desit occasio; & quia Disciplinae Ordo sic postulat; opportunum cenfeo aliquem ipsis cui obtemperent imponi.

qua-



quare fretus tuâ modestiâ , prudentiâ & Doctrinâ , factu optimum judicavi te ijs Curatorem Ducemque præficere , cujus imperio , cum limitationibus mox indicandis , subsint quicumque , vel Socij , vel externi Alumni , Goæ aut alibi , Rectoris Collegij sanctæ Fidei respicere nutum & sequi autoritatem hætenus consuevere . In hos eam potestatem exercebis , quoad ejus legitima revocatio tibi significata ritè fuerit . Vide tamen quibus exceptionibus eam , justis de causis , restrictam velim . Primum Antonio Gomezio jubeo plenum absolutumque arbitrium jure quàm optimo competere in externos Seminarij Alumnos , sive Lusitanos , sive Indigenas . Eidem liberam attribuo administrationem vestigalium & totius pecuniæ Collegij , ut eam exigat à debentibus , & in usus familiæ necessarios expendat , prout ipsi videbitur . nihil igitur intercedas quominus sic agat , aut facti rationem exigas . quæ item ad emissionem vel admissionem Alumnorum Lusitanici aut Indici generis pertinent , cuncta ipsius cognitioni ac judicio relinque ; boni consulens quidquid statuerit , nec in ullâ rerum talium autoritatem inter-

inter-



interponens tuam . Si quid de his fecus  
quàm ipse , senties , conveni eum confi-  
lio aut prece ; pro imperio nihil in cau-  
sis hujusmodi præscribas . Castigationes  
etiam Puerorum utriusque generis , uti &  
totum Ordinem Disciplinæ ipsorum dome-  
sticæ , ac distributionem officiorum , assi-  
gnationem , electionem , rejectionem Mi-  
nistrorum Convictûs , illi uni committo .  
& ut ijs sine interpellatione aut contradi-  
ctione tuâ , vel cujusquam , securè funga-  
tur , jubeo . Atque hîc te iterùm pro rei  
momento rogo , perque obedientiam quàm  
Patri Nostro Ignatio volens promifisti , cujus  
vi tibi hæc mando , adjuro & obtestor  
quàm possum efficacissimè , ne ulla Te in-  
ter & Antonium Gomezium extet unquam  
animorum dissensio , altercatio verborum ,  
simultatis initium aut species : sed mutuis  
potius significationibus conjunctissimæ sem-  
per voluntatis , summiq; invicem amoris ,  
testatissima germanitas , & in commune  
bonum familiæ totius suâ cujusque ex par-  
te omni sedulitate promovendum , unani-  
mis conspiratio , quæ sui semper declara-  
tione manifestâ , offensionis ac murmuratio-  
nibus intra & extra Domum ansam præci-  
dat



dat omnem . Quoties Fratres Nostri qui Promontorij Comorinensis Incolas , assiduè vicos eorum concursando , excolunt , vel Colano Nicolaus , Meliapore Cyprianus , Melchior Gonzalez Bazaino , Franciscus Perezus Malacâ , Ioannes Beira cum Socijs è Molucco scripserint ad te , implorantes tuam apud Prætorem aut Episcopum gratiam , quorum ipsis favor in occurso negotij cuiuspiam necessarius fortè sit , aut aliud quidvis officij vel subsidij spiritualis aut corporei , quo egere cumque ipsos contigerit , petentes ; fac omnibus omissis , diligentia & caritate summâ efficiendis quæ postulant te impendas ; agens etiam cum Antonio Gomezio ut quod suarum est partium in id strenuè ac largè statim conferat . Literis porrò quas ad ærumnosos illos in Sole ac pulvere pondus æstûs ac diei sudore suo multo portantes scribis , cave stillam unquam vel minimam acerbitatis ulius inspergas : Omnes potiùs apices amorem & suavitatem spirent . Objurgationis , querelæ , mentionis cuiusvis unde offendi aut contristari queant , odor omnis & umbra quàm longissimè abesto . Ad victum , vestitum , tuendam , restituendam valetudinem



nem necessaria quæ postulant promptè prolixè , liberaliter suggerite . misereat enim vos laborum continuorum atque ingentium quos in Dei obsequio summâ vi annitentes tolerant , & diù noctuque , sine humani ulius admixtione solatij , exantlant . quod de ijs potissimum dixerò qui Molucenses & Comorinenses Ecclesias curant . nam hi verè Crucis gravissimæ onere molestissimo premuntur ; qui ne sub fasce gemant , curate , per Deum , quantâ maximâ solitudine potestis , ne frustra , ne bis requirant quæ illos desiderare intelligitis , vel ad animorum solatia , vel ad subsidia corporum , quorum defectu languere ipsos quoque ac fatiscere animos certum est . Hoc ego , juvandorum Fratrum in acie stantium per vos castra servantes , tam æquum tam cunctis prævertendum officium judico , ut non dubitem adjurare vos , & Dei Domini Nostri & Patris Ignatij nomine , ne ad summam ejus alacriter exhibendi , cumulatè defungendi , diligentiam , reliqui vobis quidquam extremâ contentione faciatis . Te verò propriè quod attinet , rogo etiam atque etiam , Frater , ut continuis in virtutem profectibus accrescas , exemplo cunctis

ctis



ctis præluces salutarî, uti semper hætenus fecisti. nullam ad me scribendi elabi occasionem finas. Expecto autem copiosas literas quæ multa jucunda de te doceant; de familiâ hâc universâ; de consensione mutuâ, individuâque te inter & Antonium Gomezium caritate, de singulis nostrorum Comorini Promontorium excolentibus, de Cypriano Meliapore degente, de Socijs quos naves hoc anno è Regno appulsuræ exposuerint: qui & quot in ijs sint dicendi ad populum insigni facultate præditi, qui Sacerdotio initiati, qui Laici. Genera horum distingui, numerum ac species apponi, nomina, dotes, vires, virtutesque singulorum fusè perscribi postulo. Hujus tui mecum literarij commercij duæ saltem, viæ certè suppetent. Solet enim bis quotannis navis regia Goâ solvere, Septembri quidem Bandam petens; Aprili autem ad Molucenses Insulas cursum intendens. Sed utraque obiter attingit Malacam, ubi noster Franciscus Perezius literas mihi inscriptas accipiet, & non defuturis commoditatibus rectè ad me in Iaponem curabit. Fac, amabo te, hanc tibi à me relictam abeunte chartam semel quavis Hebdomade



relegas , ut sic non tantum meorum mandatorum , sed mei quoque absentis memoriam refrices ; quã te velim incitari ad propitiandum mihi Deum tuis , Goensium nostrorum , & devotorum devotarumque tuarum precibus . Antonio Gomezio mandavi , ut si Concionatores è Lusitaniã venerint , quosdam eorum in circumstas stationes mittat ; uti Cocinum , ubi adeo desideratur bonus è Societate Ecclesiastes ; item in partes Cambajæ ; puta in urbem Dium . Id ipsum tibi commendo . quare si naves hoc anno appulsuræ exercitatorum in dicendo Sociorum quandam copiam attulerint , age cum Gomezio de ijs opportunè dispergendis , ut ij omninò à vestrũ altero , quò indicavi destinentur . Quoniam vereor ut in tuis magnis regiminis multiplicis occupationibus satis liberum tibi facilè contingat otium ad me tot ista quæ scire cupio , tam minutè ac diligenter scribendi ; eam curam demandes censeo Dominico Nostro , aut alteri cuiquam è Lusitanis domesticis ; quem jube sedulò colligere , & in Commentarios referre quæ varijs occasionibus de nostris per missiones aut stationes sparsis , præsertim de Gaspare Armu-



Armuziæ degente, subinde Goam scitu digna nunciantur. Ea tu scripta sub navium statis vicibus Malacam petentium discessum, in fasciculum compinges mihi inscriptum, cui manu tuâ adijcies si quid arcanò mihi significandum habebis. Quid in varijs ex isto Collegio pendentibus Sedibus geratur, quive sit locorum status, quia præsentis spectare tibi nondum contigit; nec experientia te docuit quomodo vivatur in Orâ Comorinensi, Meliapore, Colani, in Moluccis, Malacæ, Armuziæ, neminem ex ijs qui per ea loca operantur, ad te accerses absoluto imperio. fieri enim posset ut propter ignorationem rerum quæ tunc fiunt, securim benè ceptis infligeres, & negotia proximè successum diù optatum magno molimine promota, importunâ Ministrorum evocatione disturbares, detrimento non facilè reparabili salutis animarum & Dei Gloriæ. Hæc mihi causa est scribendi (quod modò faciam) ad P. Antonium Criminalem, ne aut ipse loco se moveat cujuscumque accitu, aut quemquam ex ijs qui cum illo Christianos Comorinenses in Sacris erudiunt, de statione decedere, quocumque revocante, patiatur, nisi ei rebus



præsentibus inspectis , id sine incommodo fieri posse videretur . Idem alijs mando Stationes alias tenentibus : ne aut ipsi cepta omittant , aut Socios laborum illic necessarios ab opere abripi sinant , aliòque abire , sic corrupturos spes magnas , & occasiones pretiosas perdituros dilatandi Christi Regni , recessu intempestivo & Divini obsequij rationibus apprimè noxio . Consultius igitur fuerit tuam in his auctoritatem non interponere ; nec aliquid pro imperio jubere quòd an expediat exequi haud satis compertum habeas . Porro ut nominatim acciri Goam à te quemquam è nostris peregrè laborantibus veto , nisi prius explorato iudicio ipsorum , & consensu perspecto ; ita si qui eorum , causis urgentibus , injussu ad te venerint , benignè accipi & singulari caritate tractari jubeo ; adeoque perbenevolè curari , seu remedijs aut subsidijs egeant corporum : seu malè affecti animis , suâ ipsi , proprio consulente periculo , voluntate , aut Sociorum de ipsis fraternè sollicitorum suasu , missive , quæstuum spiritualem medicinam venerint , poenitentia ac correctionis secessusve per dies aliquot ascetici . quæ tu illis officia impendes,



des, paternâ caritate, ne pereant aut detrimentum capiant, providens. Haftenus dicta ut observes sedulò, te vehementer, Carissime Frater Paule, oro. Mense Aprili Anno

CICIDXLIX.

Totus Tuus.

*Franciscus.*

EPISTOLA IX.

IOANNI III. REGI

LVSITANIÆ.

**A**Vditiſ, Domine, ac ſæpe multumque conſideratiſ, quæ à varijs, iſdemque idoneiſ, Autoribuſ, quippe in re præſenti verſatiſ, plurima & mira referuntur de inſigni quadam diſpoſitione quæ in Inſuliſ Iaponiæ cernitur ad accipiendam Noſtram Sanctam Religionem; putavi mihi vehementer atque inſtanter à Deo Noſtro Domino petendum, ut dignaretur ſenſu quodam intimo in animum meum inmiſſo ſignificare, ecquid ipſi cordi eſſet;

X 4 me



me illò proficisci ; simulque daret vires ad perficiendum quod iuberet . Placuit Divinæ Maiestati , ejus me voti compotem facere . Planè siquidem in animo meo sentio , & penitus persuasus sum , expedire ad Dei obsequium me in Iaponiam tendere . Ergo alacri vicens fiduciâ , moras abrupti omnes ex Indiâ solvens ; vt jam haud dubiè vocantem , crebrisque ac vehementibus incitantem ad istud iter impulsibus Deum sequerer . Eo cursu hunc Malaccæ Portum tenuimus duo Socij mecum , & tres Iapones Christiani recentes ; sed valdè boni , qui post plenè percepta IESV Christi Domini Nostri vitæ ac Doctrinæ mysteria & dogmata , Goæ in Collegio Sanctæ Fidei baptizati sunt . Omnes legere more nostro , ac scribere didicerunt , recitantque Ecclesiasticas Preces , ac statis horis Divina meditantur . Movet illos atque afficit præcipuè consideratio Laborum & dolorum Christi ; Crucisque ac mortis ejus recordatio , in quâ sæpè magnis animorum sensibus & teneris affectibus versantur . Meditationibus asceticis Patris Ignatij mentem excoluerunt attentione summâ , mirrosque inde fructus reportarunt clarioris  
Dei



Dei notitiæ . frequentant sponte Sacramen-  
 ta Confessionis & Communionis: & ad hoc  
 nobiscum iter ingentibus desiderijs vrgen-  
 tur adducendorum ad Christi Religionem  
 Popularium suorum . Pervenimus huc , sex  
 quos enumeravi , Malacam pridie Kalendas  
 Junias Anni *MDCLXIX*. Arcis Malacen-  
 sis Præfatus excepit nos omnes eximiâ ca-  
 ritate : prolixèque detulit quidquid à se  
 optari studij & favoris posset ad expediend-  
 um & promovendum hoc nostrum iter ,  
 quod magnâ spè Deo inserviendi , & Maie-  
 stati Tuæ gratificandi , suscepimus . mox  
 verborum humanitatem officiorum seduli-  
 tate superavit . Ita enim elaboravit in-  
 quærendâ nobis nave commodâ , cæterâ-  
 que opportunitate procurandâ tutò ac faci-  
 lè pergenti quò tendimus , ut quæ quo  
 primum die huc appulimus liberaliter &  
 benignè multa promiserat , cumulatissimè  
 representavit . quidquid ejus potestatis fuit ,  
 in eo promptè , benevolè , vltro nobis of-  
 ferendo nihil sibi ad summam humanita-  
 tem reliqui lècit : quæ vero ambitu & gra-  
 tiâ exoranda ab alijs fuere , in ijs eblan-  
 diendis omni studio , conatu omni efficien-  
 dis , tantum elaboravit , tamque insigni te-  
 nera



neræ in nos caritatis demonstratione nostrâ causâ contendit, vt facilè sentiamus nos semper impares fore isti ejus remunerandæ beneficentiæ; quâ maiorem efficaciorumque ne à Fratre quidem germano expectare poteramus. Per quo Deum Dominum Nostrum complecteris, amorem, oro obsecroque Te, Domine, vt quæ plurima hoc nomine Petro de Syluâ debemus, rependere vice nostrâ Maiestas Tua dignetur. Largè suppeditari iussit quidquid nobis opus fuit, non modo in viaticam navigationis hinc in Iaponiam; sed in sumptum etiam & victum commorationis illic longiusculæ, & ædificationem Sacelli vbi sacrum Missæ Sacrificium offerre Deo possimus. quàm propriè in rem largitus nobis est triginta modios piperis optimi electi ex omni copiâ quæ Malacæ fuit. Addidit multa speciosa & magni pretij munera, Regi Iaponiæ offerenda: vt ijs ille delinitus faciliorem se admittendis nobis, & in Regno suo tolerandis præbeat. Hæc ita minutè narro Maiestati Tuæ, quò intelligas quibus me beneficijs & honoribus afficiant Fideles tui subditi qui in Iudijs sunt. E- quidem, Domine, verè mihi dicturus videor,



deor, neminem unquam in Indiam ve-  
 nisse, cui tantum vel honoris vel gratiæ  
 tribuerent degentes illic Lusitani, quantum  
 mihi detulerunt. Totum hoc debeo Maie-  
 stati Tuæ, crebrisque tuis illis & efficaci-  
 bus commendationibus mei ad eos quos  
 negotijs Regni tui Præfectos habes per In-  
 dicos Tractus. Quos inter quoniam Domi-  
 nus Petrus de Syluâ Præfectus Malacensis in  
 me iuvando, colendo, ornando insigni-  
 ter excellit, ipsique me sibi beneficiis ob-  
 strinxit, quibus inopia & imbecillitas mea  
 parem à me unquam referri gratiam pro-  
 hibent, peto vt me finas constituere in  
 Liberalitate Tuâ supplementum egestatis  
 meæ. Id consequar si dignabitur Maiestas  
 Tua, & huic & alijs de me optimè me-  
 ritis largiter in mei gratiam benefaciendo,  
 ea cuncta repræsentare, quæ Ego ipsis cum  
 debeam, exolvere non possum. Deus Do-  
 minus Noster per suam Infinitam Pietatem  
 & Misericordiam illuminet plenè ac peni-  
 tûs mentem Maiestatis Tuæ ad clarè cogno-  
 scendum suam Sanctissimam Voluntatem;  
 addatque gratiam perfectè exequendi quæ  
 ipsi placere noveris: sic prorsus ut fecif-  
 se gauderes in momento mortis tuæ. quan-  
 do



do sistêris ante Dei Tribunal redditurus rationem omnium quæ per universam vitam egisti. Vehementer etiam atque etiam obsecro Te, Domine, ne pigrêris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorij momenti quidquid expediri modò ac præverti potest. Morbus enim supremus & mortis ingruentis vicinia, ita mentem Languentis in angorum dolorumque, qui plurimi acerbissimique tunc sæviunt, præfenti sensu miseram defigit, ut illi nequam vacet alijs curis aut cogitationibus attendere, quàm quas illis horribilis scena rerum animo se se tum primùm obijciens, tristissimas & inutiliter cruciantes incutit, quarum informare speciem nemo potest qui non sit expertus. Malacæ die Festo Corporis Christi Anno MDCLXIX.

Majestatis Tuæ servus inutilis.

*Franciscus.*

EPI-



## EPISTOLA X.

E I D E M.

**Q**Voniam Regijs isthinc missis literis  
 iussisti me, Domine, scripto refer-  
 re ad Maiestatem Tuam de ijs qui  
 per hos Tractûs cum fide ac diligentia  
 commisso à Te sibi munere funguntur; sic  
 velim habeas: Duartem Barretum, qui  
 negotia Regni tui nuper procuravit Ma-  
 lacæ, nihil in eâ functione omisisse quod  
 ab homine gnavo, industrio, fideli ex-  
 pectari posset. Ita enim prospexit ratio-  
 nibus Fisci, ita Negotiatoribus favit, iu-  
 re, sine personarum respectu ex æquo di-  
 cundo, ita denique in omnibus se gessit,  
 ut ejus iste Magistratus honori apud has  
 Gentes Maieitati Tuæ fuerit. quippe cum  
 ex hoc specimine iudicantes Homines vul-  
 gò crederent, Te Ministros hùc Imperij  
 Tui tales mittere, quos virtutibus quæ Ti-  
 bi maximè probarentur, quibusque ipse  
 abundares, instructissimos scires. Equi-  
 dem sic arbitror: Regum ac Principum  
 latè imperantium in eo verti gloriam; si,  
 non  
 quas



quas ipsi per se administrare non possunt  
 suæ ditionis partes , ijs committant quo-  
 rum existimari similes honestum ipsis sit;  
 quosque Populi cum viderint , cumque  
 fidem , gravitatem , æquitatem ipsorum  
 usu perspexerint , studio amplexi fuerint,  
 expressam effigiem laudum ac decorum  
 Principis absentis in præsentibus ab eo mis-  
 sis eius Vicarijs , spectare sibi ac tenere  
 videantur . Horum de numero ac genere  
 optimo Ministrorum , qui summam sibi fe-  
 licitatis ponunt in perfectè obsequendo Re-  
 gi suo , vel inprimis est Duartes Barre-  
 tus : hoc nomine dignus quem Maiestas  
 Tua re ac dignitate auctum velit ; cuius-  
 que , ob egregiè Tibi ac Reipublicæ nava-  
 tam operam , remunerandi quærendas occa-  
 siones putes . Ea quæ dixi ut faceret,  
 multum illi laborum exantlandum fuit ;  
 multæ ( quæ copia hîc Improborum est )  
 contentiones suscipiendæ , certandaque  
 certamina . Nec imputari potest in locum  
 idoneæ mercedis , pro sedulâ diligentia tot  
 annorum , Præfectura , cuius memini , Ma-  
 lacensis . Primum quia casu quodam fa-  
 ctum est , ut parum ipsi quæstuosa foret ;  
 deinde quia tempus ejus totum expiere  
 non



non potuit . quare hinc pauper discedit .  
 Dignare , Domine , ei consulere , uti-  
 que Homini quantavis à Maieftate Tua  
 gratiam merito . Adiungat precor Deus  
 Dominus Noster multos annos ad vitam  
 florentem & felicem Maieftatis Tuæ : con-  
 cedatque per fuam clementiam Tibi , ut  
 in hâc vitâ cognofcas Sanctiffimam ejus  
 Voluntatem ; benignèque fuppeditet vires  
 animi abundantes ad eâ fenfibus , operi-  
 bus , affectibus agenda quæ fupremo tempo-  
 re feciffe Te gauderes . Malacâ ix. Kal. Iu-  
 lias Anno CIOICXLIX.

Maieftatis Tuæ fervus inutilis.

*Francifcus .*

EPI.



## EPISTOLA XI.

PATRIBVS PAVLO CAMERTI, AN-  
TONIO GOMEZIO, BALTHASA-  
RI GAGO, SOCIETATIS  
IESV. GOAM.

*Gratia & pax Domini Nostri IESV Christi  
sint' semper in nostris Anima-  
bus. Amen.*

**H**Os paucos versus cursim vobis exaro,  
quoniam scio deesse non posse, quin  
vos delectet nosse, ut se iter hoc nostrum  
habuerit, & de nostro Malacam appulsu.  
Cocino solvimus vi. Kal. Majas, incredi-  
bilem illic prius experti humanitatem Fran-  
ciscanorum Patrum. exceperunt nos sum-  
mâ, nec fuci ullius suspectâ, demonstra-  
tione caritatis; quo illis nomine & debe-  
mus, & semper debere fatebimur pluri-  
mum. In cursu Malacensi consumpsimus  
dies non totos quadraginta. Pervenimus  
Malacam valentes ac vegeti, cum ego,  
tum Pater Cosmus Turrianus & reliqui,  
nullo languente, nullo ne nausâ quidem,  
aut



aut tenui commotiunculâ tentato. Tempe-  
 state usi fumus toto cursu percommodâ. Pi-  
 ratarum Acenorum nec periculum nec su-  
 spicio fuit. Adeò fortunare usquequaque  
 navigationem istam Deo Domino Nostro  
 placuit; cui maximas eo nomine & habe-  
 mus & agimus, & rependi à vobis quo-  
 que poscimus, Laudes & Gratias. Pridie  
 Kal. Iunias in hunc portum Malacensem  
 exscendimus. Exceptit me Præfectus & uni-  
 versa Civitas à summis ad minimos, in-  
 genti & benevolentissimâ significacione læ-  
 titiæ. Primis ipsis congressibus Præfecto  
 commendavi Iaponiense nostrum iter. Ob-  
 tulit ad id prolixè quantum in se foret;  
 moxque promissa in rem contulit non exi-  
 guâ diligentiam. Hoc ille tam benevolo  
 studio, & nos & Societatem universam  
 sibi mirificè devinxit. Tantus enim eâ to-  
 tâ curatione ejus eminebat in nos amor,  
 ut suo sumptu, nostrâ propriè causâ, Lusit-  
 anam navim armare mittereque in Iapo-  
 nem voluerit: fecissetque, si reperiri navi-  
 gium ad hoc aptum potuisset. Exclusus  
 isto consilio, applicuit animum ad navem  
 Sinensis formæ, quàm *Iuncum* vocant. Cujus  
 navarchus Sina, Latro nomine, licet Ido-

Y lola-



lolatra , familiam tamen Malacæ habet. Ab hoc pollicente se nos rectâ perducturum in Iaponiam , Præfectus haud temerè credendum ratus homini Ethnico , Syngrapham exegit , quâ volens declarabat : se in istius promissi fidem opponere pignori uxorem cum re familiari universâ ; eâ conditione , ut nisi nostris ipsorum literis è Iaponiâ relatis constitisset , rectè nos illuc fuisse perductos juxtâ pacta , conjux quàm relinquebat Malacæ , & quidquid in Lusitanâ ditioe possidebat , Fisco manciparetur . Præterea nos idem Præfectus cunctis rebus ad navigationem istam usque Iaponem , & ad ibi Domicilium figendum , necessarijs , providentissimè , ac liberalissimè instruxit . Impendit quinque etiam nummos aureos ducentos in munera offerenda Regi Iaponiæ , quò eum conciliare nobis , & propitium habere in Evangelij promulgatione possimus . Imus continuo cursu in Iaponem , sine ullâ in quoquam è Sinarum portibus morâ . Fortunabit , ut speramus , Dominus Deus Noster navigationem istam ; nosque salvos illuc perducet , ubi sanctum ejus nomen glorificetur , primùm per nos innotescens cæcis illis Gentibus .

Alfonso  
die



die Sanctissimæ Trinitati sacro, primum Deo Sacrificium ritè obtulit, cum cantu & apparatu solemnè, Diacono & Subdiacono ministrantibus. Processit ordinata in pompam linteata multitudo Clericorum usque ad Ædes Sodalitij Misericordiæ, in quibus diversabamur, novumque Mystam, nobis quoque prosequentibus, ad majus urbis templum abduxerunt; reduxeruntque post Sacrum peractum eodem. In ipsâ functione mysterij ei adstiterunt Proëpiscopus & noster Franciscus Perezius, Diaconi partes obiit Pater Franciscus Turrianus. Ego eodem die ad concionem dixi. mirificè delectavit, & veneratione affecit intimâ populum tam augusta species sacrorum, quòd nunquam viderant primitias Divini Sacrificij adeò exquisitâ ceremoniâ offerri. Expecto literas à vobis fusè ac diligenter scriptas, quæ me planè ac singillatim doceant, cum de universo statu Collegij, tum de singulis Patrum ac Fratrum illic degentium; ut quisque valeat, quid agat, quantum proficiat, quâ industriâ, quo fructu, elaboret. Invidebitis mihi jucundissimum fructum animi, si me ullâ parte optatissimæ istius notitiæ fraudetis. Præterea sci-



re aveo, quot qualesve Socios è Lusitaniã  
 profectæ naves exposuerint. qui numerus  
 in ijs Sacerdotum, Clericorumve, quis  
 adiutorum Laicorum sit. ecquid illorum  
 aliqui valeant concionandi facultate? quan-  
 ta? & quibus ij alijs polleant dotibus? Hoc  
 propriè argumento duo triave folia mayo-  
 ris chartæ velim expleri. Postremò de  
 omnibus nostris in Comorino, Colani, Me-  
 liapore, Armuziæ, Bazaini degentibus,  
 facite ut sciam cuncta, sic tanquam ocu-  
 lis præsens subjicerem. ultrà istas à ve-  
 strum altero, P. P. Paule & Antoni, dan-  
 das ad me literas, cupio significetis sin-  
 gulis Patrum Fratrumque Nostrorum vobis-  
 cum viventium, petere me majorem in-  
 modum, uti ne graventur mihi proprijs Epi-  
 stolis exponere statum animæ ipsorum. juva-  
 bit, pro meo in singulos peculiari affectu,  
 cognoscere quibus quisque à Deo coelesti-  
 bus recreetur donis, quâ pace gaudioque  
 fruatur animi, quàm alacriter, obsequendo  
 Deo Domino Nostro, ad perfectionem ten-  
 dat. Velim etiam, ut nomine omnium  
 Indigenarum alumnorum unus aliquis ipso-  
 rum, puta Iacobus à Mosambico, ad me  
 scribat. nec nostri expectent dum mutuas  
 ab



NOVARVM EPIST. Lib. 4. 341

ab ipsis eliciam præmittendis ad unum-  
quemque meis ; ad quod sicut mihi cari-  
tas abundat , ita ( prout facilè omnes  
vident ) otium non suppetit . Hanc Epi-  
stolam communicari cunctis ipsis volo . ro-  
goque ut quisque velut sibi nominatim in-  
scriptam accipiat . Istæ porrò chartæ uni-  
versæ , prout aliàs monui , mittantur Ma-  
lacam ad Franciscum Perezium , cujus cu-  
râ rectè in Iaponiam ad me destinabuntur .  
Cum ipsi vos quæso mementote , tum da-  
te , amabo vos , operam ; ut omnes Pa-  
tres Fratresque Nostri meminerint , Deo  
impensè commendare quotidianis Sacrifi-  
ciis ac precibus , planè uti meipsum , Do-  
minum Præfectum Malacensem , cujus tam  
luculenta in nos ac Societatem universam  
extant beneficia , ut ijs rependendis planè  
impares simus , nisi succenturiemus Dei Do-  
mini Nostri Omnipotentem beneficentiam  
in supplementum egestatis & imbecillitatis  
nostræ , ne turpissimam ingrati animi con-  
sciscamus labem . Literas quas Vlyssipone  
Conimbricâ , Româ , P. Simonis aut alio-  
rum è Societate recipietis inscriptas mihi ,  
scitis jam mittendas esse Malacam nave  
Bandam versùs soluturâ . fin ad tempus

Y 3 ad



ad id non occurrerint ; imponantur certe Regiæ celoci Ternaten Aprili Mense destinandæ , quâ etiam occasione non præmittetis Molucenses nostros latè de omnibus quæ in Europâ & per Indias memorabilia geruntur , certiores facere . Cæterum quas in fasciculo Europæarum ad me literarum observaveritis sigillo regio insignes , de illis hoc peculiariter mando : resignate exemplaria earum quæ primâ viâ venerint & legite , tum in fascem iterum compacta Malacam , ut dictum est , mittite . Cur has literas velim à vobis , Pater Paule , & Pater Antoni , prælegi , ea causa est , quod mentionem in ijs futuram arbitror duorum negotiorum , ad quorum plenam expeditionem , me absente , vestra erit opera necessaria . Scripsi ego dudùm ad Regem de Dominâ Isabellâ olim Reginâ Molucarum ( fuit enim Mater ejus qui ante Regem hodiernum illic regnavit ) quæ matrona , meo cum ibi essem ministerio , Christianam suscepit Religionem . Scripsi pariter de Balthasare Velozo affini intimo Regis Molucensis ( habet enim ejus in matrimonio Sororem ) homine Nostræ Societatis amantissimo , & qui promovendæ conversioni



fioni Ethnicorum ad Christum, operam studiosissimè utilissimam navat. De his capitibus duobus responsurum mihi Regem, pro cæterâ ejus benignitate, sperare debeo; quin etiam verisimiliter expecto; quædam regia diplomata, quæ istis ambabus de religione optimè meritis personis impetrare sum conatus, istis ad me literis jungenda. Si mea me opinio non fefellerit, oro etiam atque etiam vos, ut ista diplomata per navim regiam Mense Aprili ad Molucas Goâ profecturam, summâ curâ nostris Molucis degentibus commendetis. Sin Regis de his literæ tacebunt: nec ulla utriusque, aut saltem alteri horum inscripta charta regia toto fasciculo cernetur: tum vos ambo, Pater Paule & Pater Antoni, convenite confestim Dominum Prætorem, eumque magnoperè orate, ut inspici jubeat num in fasce novissimè perlato Chartarum ad ipsum Regiarum reperiantur decreta pensionis annuæ Reginæ Isabellæ persolvendæ, aut certi honoris, vel immunitatis BalthasariVELOZO, Regis gratiâ, concessæ. Ea si fuerint inventa, impetrate à Prætoře, cum ut cætera cuncta quæ ad plenum regis liberalitatis effectum representandum opus



erunt ex se conferat ; tum ut ipsa diplomata vobis committat , curaturis ut ijs ad quos attinent , reddantur . Horum quod Reginam Isabellam spectat , sufficet commendare nostris Stationem Molucensem obtinentibus : Balthasari Velozo suum censeo vos ipsi proprio fasciculo , cum literis vestris , omni grati & obsequiosi animi significatione insignibus , inscribatis ; id sedulo agentes , ut intelligat : se cum præsentes nostros beneficijs amplectitur , omnium ubique Sociorum mutuum sibi gratiam , efficacibus semper in occasione officijs testandam , obstringere . Tibi jam Antoni Gomezzi , maximoperè , ac quàm possum efficacissimè , commendo ut impensè reverendis , ac Beatorum , propè dixerim , honore prosequendis , Patribus Ordinum Sancti Francisci , & Sancti Dominici , summam semper caritatem , demississimam reverentiam , studium obsequiosissimum in omnibus exhibeas , non modò universos eximiè colens , sed singulis , ut quisque occurrerit , per humanissima officia plenam fidem faciens veri ac syncerissimi amoris . Omnem autem ab eis dissensionem , aut simultatis initium quodvis ac speciem , cane pejus & angue



gue tibi cunctisque nostrorum vitandam statu-  
 tue. In quo sic habete: prævertendis  
 odijs, invidiæque ac suspicionibus semina-  
 tricibus discordiarum in ortu ipso extin-  
 guendis, efficacissimam fore operam con-  
 spectæ semper in singulis nostrorum mini-  
 mè fucatæ, sed ex intimâ demissione men-  
 tis in externam humilitatem propensæ mo-  
 destiæ. Hos autem sensus atque affectus er-  
 ga spectatissimos illos tam illustrium Reli-  
 gionum professores, nolo teneatis conclusos  
 mentibus. exerite in opus visendis illis  
 subinde officiosè, & quocumque per occa-  
 siones, etiam studiosè captatas, licebit,  
 honoris atque obsequij genere demerendis.  
 sitque horum ipse populus testis; ut spe-  
 ctato alioqui cupidus contendentium inter  
 sese Sacerdotum, nullum à vobis, aut ve-  
 strâ ex causâ sperandum sibi tale spectacu-  
 lum intelligat. Sed & ipsam plebem aut  
 quidquid ibi cujusvis generis hominum est,  
 ut vobis adjungatis, benevolosque redda-  
 tis, ipsorum causâ curandum est. sicut enim  
 duntaxat prodesse ipsis ad salutem animæ  
 poteris. istius porrò non quæstuosæ, sed  
 religiosæ popularitatis, ars spesque præci-  
 pua in eo sita est, ut nullis non verbis,  
 factis,



factis, gestibus in quotidianâ conversatione demonstretis modestissimam compositionem sese aspernantis animi, & verè fraternam inter vos mutuò, tum promiscuè ad omnes fuci expertem & promptam ad opus caritatem. Hoc, quantum ad amorem erga nostros attinet; tibi præsertim Pater Paule, qui cunctis isthic præes, dictum puta. & boni consule orari te hîc quoque, & obsecrari à me, ut nihil prætermittas, quo reddere te amabilem Fratribus Nostris qui à te reguntur possis, plurisque referre putes diligi te ab illis ex animo, quàm tibi eos ad nutum obsequi. Quod sequitur ad omnes isthic nostros pertinet, quos jam nunc moneo, stent parati animis, intentique ad signum, si fortè animadversâ rei melius in Iaponiâ, quàm isthic gerendæ facultate, ad uberiores eos messes evocavero frequentes. Auguror equidem deesse vix posse quin quamprimum à me illuc accersantur aliqui; cæteris, ubi pignus spei primis successibus accesserit, haud longo post intervallo secuturis. Date universi sedulam operam, ut Domini Episcopi vivam semper & ex animo pensam erga vos gratiam servetis. rolo autem



NOVARVM EPÍST.Lib.4. 347

tem contentos esse vos vestram ei cliente-  
 lam approbare meris honoris signis, & ste-  
 rili declaratione reverentiæ. ultra omnes si-  
 gnificationes venerationis infimæ, procedi-  
 te, quantum ipse sinet, ad communionem  
 laborum ipsius, & molis quâ prægravatur,  
 sollicitudinis Ecclesiarum, parte, quantum  
 volet in vos deonerare, alacriter humeris  
 tollendâ, sublevate canitiem Patris Opti-  
 mi, Christianæ Religionis in his partibus  
 supremi Moderatoris: in cujus exhaurien-  
 dis omnis generis mandatis, atque adeo  
 exequendis vel nutu subostensis voluntati-  
 bus, non aliam volo vos Obedientiæ Ve-  
 stræ metam figere, quàm qui virium ve-  
 strarum extremâ contentione conantium,  
 ultimus finis est. Impertiam vobis dein-  
 ceps curam quæ me coquit rependendi,  
 pro mediocritate facultatis nostræ, quan-  
 tum debemus optimo & liberalissimo Regi  
 nostro pro magnis quibus non cessat nos  
 afficere beneficijs; quantum Lusitanis in  
 Indiâ degentibus pro studio quo nos in-  
 genti prosequuntur. Facile video haud  
 opis esse nostræ, aliam illis referre gra-  
 tiam, quàm procurandæ Lusitanorum, ubi-  
 cumque sive peregrinantur, sive Domici-  
 lium



lium habent, æternæ salutis, per Ecclesiastica Instituti Nostri ministeria, solerter & constanter insistendo. Ad hoc, opus præsertim est, Concionatoribus bonis, quales jampridem doleo in multis Lusitanorum, satis alioqui frequentibus & talis auxilij multum egentibus, miserè desiderari Colonijs. cui necessitati, ut grati animi officium non cogeret, instinctu communis caritatis succurrere deberemus. Eâ nunc præ cæteris inopiâ laborant Cocinum, & Bazainum. Hæc me causa subigit imperare tibi Pater Antoni Gomezi, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut eorum qui è Lusitaniâ proximè venturi expectantur, Concionatorum, unum confestim Bazainum, alterum Cocinum destines: etiam si duo tantùm advenerint; & reliquus postea nullus sit vestro Collegio Goano. nam isthic eas partes tu sustinere adhuc, ut fecisti hætenus, poteris. Vide ne moram in hoc interponas ullam. nam præterquam quod ex animi mei sententiâ & certo iudicio sic jubeo; etiam fidem in hoc meam obstrinxi Domino Episcopo, cui scribo; me, ut id fiat, omni exceptione posthabitâ, mandasse. Deus Dominus Noster pro suâ  
 infini-



infinitâ Misericordiâ imprimat penitens men-  
 tibus nostris claram notitiam suæ Sanctif-  
 simæ Voluntatis ; & simul vires spirituales  
 nobis subministret ad ei obtemperandum ,  
 non minori perfectione obsequij , quàm  
 quâ illi obedivisse , in momento mortis  
 nostræ gauderemus . Exposui vobis scri-  
 ptis Cocino literis quàm necessarium sit as-  
 signari Colani Societati Domum , in quam  
 recipere se possint , & ex quâ prodire Pa-  
 tres Nostri qui excolendis per Oram Co-  
 morinensem Christianis insudant . in quam  
 etiam congregari Seminarium , & ubi scho-  
 la Institui Puerorum illius Tractûs , va-  
 leat ; quò denique deportentur , & ubi  
 curentur Operarij , qui succumbentes oneri  
 laborum illius missionis immensorum , vi-  
 ribus subinde fatiscentibus , in morbos inci-  
 dunt gravissimos . Age , oro te , mi Fra-  
 ter Antoni Gomezi , cum Domino Præto-  
 re , cumque primario Quæstore , ut viam  
 aliquam expediant tam non differendi Ope-  
 ris repræsentandi ; mittendâ quamprimùm  
 ad Patrem Nicolaum Colani diversantem  
 aliquâ pecuniâ , vel alio subsidio , quò  
 protinus inchoare rem tam urgentis usûs  
 queat . Quæ mox subjungam te petunt  
 Pater



Pater Balthasar Gage . egeo enim quadam in re tuâ operâ . Mandavi superiùs Patribus Paulo & Antonio , ut me certiozem faciant de rebus domesticis ( hoc enim appellare vocabulo possum , quæ ad Personas , Domos , Acta , Sociorum qui sunt in Indiâ , pertinent . ) Atqui vel necessaria , vel utilis certè , mihi est notitia eorum quoque quæ aut peregrè , aut ab Exteris geruntur . Hanc tibi ego Provinciam seposui , multâ fiduciâ caritatis in me tuâ . ne igitur , oro te , gravèrè scrutari chartas & Commentarios è Lusitaniâ perlatos Europæarum rerum , sciscitari etiam ex appulsis inde , sicque ex lectis auditivè mihi excerpere , quæ referuntur ad hæc capita . Qui sit status Romæ Societatis Nostræ ? Conimbricense Collegium quatenus creverit ? An & quinam è nostris utrobique sese offerant ad veniendum huc adjutum nos ? Negotium Missionis Æthiopicæ vigeat-ne adhuc , an omissum sit ? designatus-ne jam fuerit eò mittendus Patriarcha : & quàm mox soluturus nuntietur ? Simon Noster quid cogitet , quid agat ? per Indiam quid moliantur Reverendi Patres Ordinum Sancti Francisci & Sancti Domini-



minici ? quo fructu in Animarum culturâ  
 elaborent ? utrum ipsis ex Europâ superve-  
 nerint supplementa suorum , præsertim,  
 Concionatorum ? velim etiam peculiariter  
 me doceas ecquid valeat , ut floreat Opti-  
 mus Amicus Noster Cosmus Agnezius ? qui-  
 bus Domum ejus ac familiam Deus Do-  
 minus Noster favoribus fortunet ? Addas  
 ad extremum de te ipso , quibus cognitis  
 gaudeam , de valetudine , de progressibus  
 in viâ Spiritûs , de desiderijs agendi ma-  
 gna , patiendi dura, pro Christi Gloriâ .  
 Etsi hæc te spontè ac libenter meâ causâ ,  
 pro tuâ humanitate , facturum scio ; addo  
 tamen , ne merito obedientiæ frauderis , præ-  
 cisum sic agendi imperium . Moneo ad  
 extremum , ut proficiscendi signum à me  
 promptus ac procinctus expectes . accersam  
 enim te huc citiùs quàm opinaris . Ite-  
 rùm te compello , Pater Antoni Gomezi ,  
 enixè commendans , ut si nostri Comori-  
 nenses ad te preces querelæque suas , vel  
 Christianorum quos curant , detulerint , mi-  
 serè interdum oppressorum vi & injurijs  
 Præfecti ; ad illos sublevandos , omissis om-  
 nibus , incumbas ; utarisque ad id operâ  
 Ruyzij Gonzalis , qui Patronus & Pater  
 cum



cum sit infelicitium illorum , idemque apud Prætorem gratiâ valeat , multum ad illos protegendos & poterit & volet . Superest ut in hoc periculo ancipitis , longæ , laboriosæ navigationis nostræ Iaponicæ , corroborari debilitatem nostram vestris universorum precibus exposcam . Oro igitur vos pariter omnes , quotquot Goanum istud Collegium incolitis . dignemini quotidianis Orationibus & Sacrificijs opem Divinam implorare Patri Cosmo Turriano , Ioanni Fernandi , Paulo Iaponi , & Socijs ejus duobus Manuëli Chinæ , & Amatori , tum postremò mihi . Audimus hic multà de Iapone quæ spe optimâ nos implent operæpretij ingentis ex nostrâ illuc profectioe proventuri . narrant quippè albas ibi latè cerni ad messem fruges . tædere multos illic superstitionum avitarum . cupere non paucos audire de Christi Lege , cujus ad illos , cum non exiguâ commendatione , fama pervenit . Monstrantur literæ quorundam negotiantium in Siami Regno , testantes ; appulso illuc Iaponas aliquos , auditos fuisse cum dicerent : cupere populares suos adventum , in suas terras , Europæorum Sacerdotum , qui tradant



dant ipsis veram de Deo Doctrinam. In tantæ occursum spei advolamus alacres, gestientibus animis, & quodam augurio præfagæ fiduciæ, successûs sibi despondero quantosvis audentibus. Vtinam modò donorum auxiliorumque cœlestium, sine quorum affluxu copioso vanus omnis ad conversionem Gentium labor est, peccata nostra ne intercipient uberes allapsus. Valete. Malacâ die Festo Corporis Christi Anno CIOIOXLIX.

Vester in Christo intimus Frater

*Franciscus.*

Z

S.FRAN-